CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

SCRIPTORES SYRI

SERIES QUARTA

TOMUS IV

VERSIO

MDCCCCXXXVIII


SEVERI ANTIOCHENI
LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIO PRIMA

ET ORATIONIS SECUNDAE QUAE SUPERSUNT

INTERPRETATUS EST

IOSEPHUS LEBON



LOVANII

EX OFFICINA ORIENTALI

MDCCCCXXXVIII

PRAEFATIO

Quo tempore Severus monophysita, pulso Flaviano catholico, sedem antiochenam occupabat (512-518), haud pauci auctores orthodoxi concilii chalcedonensis eiusque doctrinae christologicae patrocinium susceperunt. Ita circa a. 515-518 Iohannes quidam Scythopolitanus amplissimum opus, alius autem Iohannes, sic dictus Grammaticus, libellum ad tuendam catholicam et impugnandam monophysiticam doctrinam composuerunt. Utriusque apologiae concilii confutationem Severus parare inceperat cum, restituta ab imperatore Iustino orthodoxia, exsulare coactus est. Neque tamen ob rerum mutationem a proposito destitit; sed cum Scythopolitani opus sollicite, ut ait, absconditum obtinere non potuisset, Grammatici vero libellum frater quidam fidelis integrum describere et ad ipsum mittere curavisset, hunc potissimum confutare statuit suumque *Librum contra impium Grammaticum*, tribus orationibus absolutum, circa a. 520 elaboravit.

In adornanda sua confutatione Severus ordinem sententiarum et argumentorum libelli Grammatici prorsus et pedetentim secutus videtur. Ob hanc agendi rationem, itemque propter crebras digressiones et iterationes, necnon propter quarumdam partium amissionem, haud facile clara dispositio atque concatenatio totius operis percipitur et assignatur. Rerum series per summa tantum capita sequenti modo indicari potest. Orat. I, cap. 1-2: prooemium operis; c. 3-10: confutatio prologi libelli Grammatici asserentis definitionem concilii chalcedonensis a Monophysitis re vera impugnari, ut eutychianam doctrinam mixtarum atque confusarum in Christo naturarum in Ecclesiam inducant. Orat. II et orat. III, cap. 1-30: confutatio argumentorum Grammatici, ad defensionem doctrinae in concilio chalcedonensi definitae contendentis: *a*) explicatis vocibus οὐσία, ὑπόστασις, φύσις, etc., ob ipsam divinitatis et humanitatis differentiam duas in Christo naturas, non separatas sed unitas, esse admittendas; *b*) idem esse profiteri « unam naturam Dei Verbi incarnatam » atque

« duas naturas inseparabiliter unitas », immo utramque formulam, ad plenitudinem et perfectionem orthodoxae confessionis, simul et necessario proclamandam esse; c) dicendum esse Christum, post unionem, in duabus substantiis, minime vero in duabus hypostasibus, esse; d) sanctum quoque Cyrillum alexandrinum huic doctrinae suffragatum esse, cum Theodoretum non propter duarum naturarum, sed propter duarum personarum in Christo assertionem increpaverit, et verba Orientalium, distinctionem actionum et sermonum Christi profitentium, probaverit atque tanquam sua exhibuerit. Quae omnia postquam fuse et minutatim Severus disputavit, cap. 31-40 textus Patrum a Grammatico productos vel a mendis et falsationibus purgat, vel suam doctrinam christologicam re vera docere atque confirmare ostendit. Ipse deinde, in cap. 41, amplissimum excerptorum patristicorum florilegium texit, ac tandem, cap. 42, brevi conclusione operi suo finem imponit.

Severus multa varii generis opera conscripsit, quorum, cum imperator Iustinianus illa destruenda mox decrevisset, non nisi fragmenta in sermone graeco primigenio plerumque servata sunt. Etsi multa excerpta eius nomine insignita in catenis exegeticis recitata inveniuntur, nullum tamen commentarium proprie dictum, neque in librum Hiob, neque in Isaiae aut Ezechielis prophetiam, neque in Lucae evangelium, ut nonnulli dixerunt, composuisse Severus censendus est. Ad fidem codicum et auctorum, praesertim syrorum, sequentia opera merito ei adscribuntur:

I. Opera liturgica:

Ordo baptismi, et *Ordo brevis baptismi* urgente necessitate adhibendus;
Liturgia eucharistica una;
Hymni multi;
Preces variae.

II. Opera oratoria:

Λόγος πανηγυρικός *in sanctum Paulum;*
Homiliae cathedrales, seu Λόγοι ἐπιθρόνιοι, numero CXXV.

III. Opera theologica et polemica:

1) Contra doctrinam concilii chalcedonensis:

Ad Nephalium;
Cyrillus seu *Philalethes;*
Liber contra impium Grammaticum.

2) Contra doctrinam eutychianam:

Λόγος προσφωνητικός *ad Appionem et Paulum;*
Epistulae ad Sergium Grammaticum.

3) Contra doctrinam Iuliani halicarnassensis:

Epistulae tres ad Iulianum;
Censura Tomi Iuliani;
Confutatio propositionum Iuliani;
Contra additiones Iuliani;
Adversus Apologiam Iuliani;
Apologia Philalethis;
Contra Felicissimum.

IV. Epistulae varii argumenti multae.

E quibus operibus haec, praesertim iuxta versiones syriacas, hucusque edita vel translata reperiuntur:

De ritibus baptismi (Severi Alexandrini (*sic*) quondam patriarchae), opella edita et latine versa, addita etiam transcriptione hebraica, a G. F. Boderiano (Antuerpiae, 1572). — *Ordo baptismi* et *Ordo brevis baptismi*, apud I. S. Assemani, *Codex liturgicus ecclesiae universae*, t. II, p. 261 et seq. et p. 300 et seq. (Romae, 1749-1750). — *Liturgia eucharistica*, apud E. Renaudot, *Liturgiarum orientalium collectio*, t. II, p. 321 et seq. (Parisiis, 1715). — *Hymni*, apud E. W. Brooks, *The Hymns of Severus of Antioch*, in *Patrol. Orient.*, t. VI, fasc. 1 et t. VII, fasc. 5 (Paris, 1911).

Homiliae cathedrales: 1) graece: praeter fragmenta e catenis collecta, v. gr., apud A. Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. IX, p. 725-741, et *Spicilegium romanum*, t. X, p. 202-205, integra habetur homil. LXXVII, inter homilias sancti Gregorii nysseni, in *P. Gr.*, XLVI, 627-651; quae homilia

item graece, additis versionibus syriacis, edita habetur a M.-A. KUGENER et E. TRIFFAUX in *Patrol. Orient.*, t. XVI, fasc. 5 (1922). — 2) latine: homiliae LXXXVI, C, CX, CXIV, apud A. MAI, *Script. vet. nova collectio*, t. IX, p. 742-758, et hom. LXVII, apud A. MAI, *Spicil. romanum*, t. X, p. 212-220. — 3) coptice: homil. I, edita et translata (gallice) ab E. PORCHER, in *Revue de l'Orient chrétien*, 1914, t. IX (sec. ser.), p. 69-78 et p. 135-142. — 4) tandem et praesertim syriace: homil. LII apud BENSLEY et BARNES, *The fourth Book of Maccabees* (Cambridge, 1895); homil. I a M.-A. KUGENER edita in ephemeride *Oriens christianus*, 1902, t. II, p. 265 et seq.; homil. CXIX et CXXIII apud I. E. RAHMANI, *Studia syriaca*, fasc. 4 (Séminaire du Mont Liban, 1909); in *Patrol. Orient.*, t. IV, fasc. 1 (1906) homil. LII-LVII ed. R. DUVAL; t. VIII, fasc. 2 (1912) homil. LVIII-LXIX, t. XII, fasc. 1 (1914) hom. LXX-LXXVI, t. XX, fasc. 2 (1929) homil. LXXVIII-LXXXIII, t. XXIII, fasc. 1 (1932) homil. LXXXIV-XC, t. XXV, fasc. 1 (1935) homil. XCI-XCVIII, ed. M. BRIÈRE; t. XVI, fasc. 5 (1922) homil. LXXVII ed. M.-A. KUGENER; t. XXII, fasc. 2 (1930) homil. XCIX-CIII ed. I. GUIDI.

Cyrillus seu *Philalethes* prodiit curante A. SANDA, *Severi Philalethes*, Beryti Phoeniciorum, 1928 (syriace et latine).

Operum *contra doctrinam Iuliani halicarnassensis* seriem priorem edidit A. SANDA, *Severi Antiiulianistica*. Pars prima (syriace et latine), Beryti Phoeniciorum, 1931 (scilicet: I. Praefatio interpretis. II. Iuliani et Severi epistulae. III. Refutatio Tomi Iuliani. IV. Refutatio propositionum haereticarum).

Epistulae syriace (cum versione anglica) editae sunt ab E. W. BROOKS, *The sixth Book of the select Letters of Severus, patriarch of Antioch*, 2 vol., London, 1902-1904, et *A Collection of Letters of Severus of Antioch*, in *Patrol. Orient.*, t. XII, fasc. 2 (1915) et t. XIV, fasc. 1 (1919).

Quae ex opere *ad Nephalium* supersunt, et mutuas *Epistulas Severi et Sergii Grammatici* iuxta codices syriacos mox ipsi edituri sumus.

Libri contra impium Grammaticum tunc prorsus inediti, historiam, quantum valuimus, anno 1909, in dissertatione nostra *Le monophysisme sévérien* (Lovanii), tradere conati sumus. Nunc vero, postquam textus editionem procuravimus, cui etiam paullo fusiorem expositionem praeposuimus, latinam versionem aggressi sumus; eam autem accuratiorem, fideliorem et ad usum theologicum atque historicum aptiorem quam elegantiorem elaborare maluimus. In ea conficienda lectiones varias codicum, quae meliores nobis visae sunt, tacite secuti sumus et, ubi sensus nobis dubius remansit, sincere et ingenue hoc confiteri non dubitavimus. Syriacas voces et locutiones, quas « technicas » dicunt, seu quae ad sermonem theologicum pertinent, ne error aut confusio oriretur, iisdem semper latinis vocibus, ab antiquis interpretibus quandoque mutuatis, reddere sollicite curavimus; ideo etiam, graecas voces et locutiones saepe adnotavimus aut suggessimus. Textus Patrum et antiquorum scriptorum a Severo recitatos in editionibus reperire et indicare, quantum fieri potuit, conati sumus; siglis, ut aiunt, aut solo editoris nomine lectorem remisimus ad notissimas collectiones aut editiones, quae sunt: *Patrologia Latina* et *Patrologia Graeca* J.-P. MIGNE; *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio* J.-D. MANSI, (*Concil.*, edit. Welter); H. LIETZMANN, *Apollinaris von Laodicea und seine Schule*, t. I; F. LOOFS, *Nestoriana*; P.-E. PUSEY, *S. P. N. Cyrilli archiepiscopi alexandrini, In D. Iohannis Evangelium*, t. III; et E. SCHWARTZ, *Acta Conciliorum Œcumenicorum*. Praeter Sacrae Scripturae testimonia, textus etiam Patrum et antiquorum scriptorum recitatos in peculiarem indicem, distinctis auctoribus et operibus, congessimus, quo clarius pateret Severi Librum, hinc iam, ut speramus, omnibus pervium factum, promovendae cognitionis antiquae litteraturae christianae et dogmatis christologici historiae uberrimum fontem exsistere.

Meritam Societatis dictae « Fondation Universitaire » moderatoribus gratiam libenter persolvimus, quibus liberaliter iuvantibus tum textus, tum versionis tomos edere potuimus.

I. L.

ADDENDA ET CORRIGENDA

In tomo IV:

p. 83, l. 35, pro « excludit », lege « excludit [3] ».
p. 88, l. 33, pro « Filli », lege « Filii ».
p. 98, n. 3, pro « LXXV », lege « LXXVII ».
p. 128, n. 4, pro « Loccum », lege « Locum ».
p. 139, n. 1, pro « naturam », lege « naturarum ».
p. 146, l. 19, post « naturarum », adde « atque hypostasium ».
p. 164, l. 23, pro « Hac », lege « Haec ».
p. 178, n. 2, pro « ττaὐοβουλία », lege « ταὐτοβουλία ».

In tomo V:

p. 19, l. 33, ad verba « allata sunt », appone notam: « Cfr t. I, p. 86 ».
p. 24, n. 1, adde: « Cfr Loofs, *Nestoriana*, p. 273, l. 6 ».
p. 27, l. 11, ad vocem « adorationem », appone notam « Loofs, p. 262, l. 4 ».
p. 29, n. 5, post « Matth. », adde « xxvii ».
p. 42, l. 24, ad vocem « illud », appone notam: « Hucusque graece apud Schwartz, *Act. Conc. Œc.*, t. I, vol. V, pars prior, p. 228 ». *Ibid.*, n. 1, adde: « apud Schwartz, t. I, vol. V, pars prior, p. 231 ».
p. 48, l. 2, pro « undecimi », lege « decimi ».
p. 49, l. 26, ad vocem « posui », appone notam « Supra, p. 29 ». *Ibid.*, n. 14, pro « 679 », lege « 769 ».
p. 54, l. 1, pro « sublimitatem », lege « relationem ».
p. 70, n. 9, ante « *Paralip.* », pone « II ».
p. 72, n. 2, adde « Loofs, p. 297, l. 4 ».
p. 76, n. 2, adde notam 1 paginae 77.
p. 77, l. 6, pro « crucifixistis [1] », lege « crucifixistis [2] ».
p. 97, l. 23, post « rursus », adde « Gregorius ».
p. 100, n. 5, pro « vi », lege « iv ».
p. 137, l. 16, pro « forsam », lege « forsan ».
p. 154, l. 18, pro « confessio reicitur », lege « *tantum* confessio editur ».
p. 155, l. 7, pro « Gammaticus », lege « Grammaticus ».
p. 169, n. 2, pro « LXXVII », lege « LXXVI », et n. 3, pro « Ibid. », lege « *P. Gr.*, LXXVII ».
p. 178, l. 22, pro « sua », lege « sua [1] ». *Ibid.*, n. 2, adde « latine apud Schwartz, *Act. Conc. Œc.*, t. I, vol. V, pars prior, p. 178 ».
p. 179, n. 3, pro « *Ibid.* », lege « *P. Gr.*, LXXVI ».
p. 196, l. 5, pro « subsistente [3] », lege « subsistente [1] ».
p. 201, l. 7, pro « εἰς », lege « εἷς ».
p. 203, l. 6-7, pro « ἐκατέραι », lege « ἑκατέραι ».

p. 203, l. 8, pro « ἑκατέρα », lege « ἑκατέρα ».
p. 204, l. 13, pro « οὐσίαις », lege « οὐσίαις ».
p. 210, l. 8, pro « mentibus », lege « mentitus ». *Ibid.*, n. 5, adde: « Cfr t. III, p. 10 ».
p. 216, n. 3, adde « Graece apud SCHWARTZ, *Act. Conc. Œc.*, t. I, vol. V, pars prior, p. 228-229 ».
p. 227, n. 3, pro « LXXVII », lege « LXXVI ».
p. 234, l. 35, ad vocem « salutariter », adde notam « *Ibid.*, 245 ».

In tomo VI:

p. 3, n. 1, post « 109 », adde « et 117 ».
p. 10, l. 14, ad vocem « diximus », adde notam « Cfr t. II, p. 210, l. 24 ».
p. 15, n. 3, pro « LXI », lege « LVI ».
p. 16, n. 1, pro « t. I », lege « t. II ».
p. 46, n. 4, adde « textus; p. 67, l. 30 versionis ».
p. 51, l. 20, pro « et Theodori », scribe « [et Theodori] ».
p. 56, n. 1, pro « adversarius », lege « adversariis ». *Ibid.*, n. 6, pro « t. I », lege « t. II ».
p. 60, l. 19, pro « te », lege « a te ».
p. 62, l. 18, post, « Domini 1. », pone ».
p. 65, n. 1, adde « LOOFS, p. 357, l. 17. »
p. 74, n. 4, pro « XXXVII », lege « XXXVI ».
p. 75, n. 1, et p. 88, n. 2, pro « t. I », lege « t. II ».
p. 118, n. 3, pro « t. I », lege « t. II » bis.
p. 123, n. 1, adde « et 412 ».
p. 127, l. 26, pro « medico », lege « medio ».
p. 145, n. 2, pro « LXXVI », lege « LXXV ».
p. 146, l. 31, post « inter », adde « se ». *Ibid.*, n. 3, pro « LXXVII », lege « LXXV ».
p. 147, n. 1 et 4, pro « LXXVI », lege « LXXV ».
p. 155, l. 32, pro « nobit », lege « nobis ». *Ibid.*, n. 4, pro « t. I », lege « t. II ».
p. 156, n. 4, et p. 170, n. 3, pro « t. I », lege « t. II ».
p. 178, l. 6, ante « invenerunt », pone ».
p. 184, l. 28, ad vocem « Alexandriae », appone notam « *P. Gr.*, LXXVIII, 369. » *Ibid.*, l. 34, ad vocem « scriptum », appone notam « *P. Gr.*, LXXVIII, 357. »
p. 191, pro n. 3, lege « Supra, t. I, p. 124. Cfr *P. Gr.*, XXXVI, 149. »
p. 194, l. 22, ad vocem « inveni », appone notam « Cfr *P. Gr.*, CIII, 1104. »
p. 198, n. 3, adde « Syriace apud PUSEY, t. III, p. 497. »
p. 208, in margine, pro « p. 208. », lege « p. 283. »
p. 234, pro n. 4, lege « T. ZAHN, *Forsch. zur Gesch. des neutest. Kanons*, t. II, p. 237. »

LIBER
SANCTI MAR SEVERI
PATRIARCHAE ANTIOCHIAE
CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

[PROLOGUS DE CAPITIBUS PRIORIS VOLUMINIS
LIBRI CONTRA GRAMMATICUM
SANCTI MAR SEVERI
PATRIARCHAE ANTIOCHIAE]

[CAPITA ORATIONIS PRIMAE]

. . . .
cam agglutinavit [1]. — VIII. Confutatio manifesta accusationis in fine adiunctae, ostendens falsationem audacemque calumniam, quam frustra adversus multas genuinasque voces stulte fingit. — IX. Demonstratur unam naturam dici, non solummodo substantiam, quae in collectiva significatione multas hypostases comprehendit, sed etiam unam personam unamque hypostasim vel ex specie diversis minimeque consubstantialibus quibusdam *rebus* sine confusione in unum compositas. — X. Quod, cum de una natura seu hypostasi composita τὸ συναμφότερον dicitur, ea ex quibus illa una *natura* sine mutatione constituta est, indicat. — XI. Quod priorum haereticorum instar, qui unum Christum iudaico more dividebant, iste quoque mutationis et confusionis crimen calumniose *nobis* infert. — XII. Quod ad idem haereticae fraudis exemplar componitur impius Tomus Leonis, cum sub praetextu impiae phantasiae Eutychetis pietatem impugnet.

1 Priora perierunt. Haec supersunt ex argumento capitis VII; cfr infra, p. 26.

CAPITA ORATIONIS SECUNDAE

I. De substantia et hypostasi; et quomodo doctores Ecclesiae illas *voces* e divina Scriptura sumpserunt; et quod substantia quidem * multarum personarum est comprehensiva, hypostasis autem unius personae indicativa. — II. Quod natura modo quidem pro substantia et notione communi sumitur, modo autem pro hypostasi unaque persona. — III. Quod *vox* « exsistentia », sicut et *vox* « natura » medium tenet, cum ad *significandum* sive notionem communem, sive unumquodque *ens* sumatur. — IV. Quod hypostasis, sive simplex sive composita sit, vocatur etiam persona quando singillatim secundum constitutionem subsistit; iis autem, quae in compositione absque mutatione et confusione subsistunt, singulis propriam personam assignari impossibile est, quia una ex duobus hypostasis absolvitur. — V. Quod hypostasis propria nonnunquam et ipsa substantia appellata est, sicque a doctoribus Ecclesiae vocata est. — VI. Quod male et insipienter propter diversitatem secundum substantiam divinitatis et humanitatis, e quibus Emmanuel *constituitur*, isti impii naturarum dualitatem post unionem imaginantur. — VII. Quod omnes haeretici, qui unum Christum in duo secant, easdem amentes interrogationes proferunt, diversitatem substantialem divinitatis et humanitatis *ut* divisionis causam iactantes. — VIII. Quod idem est, apud doctores orthodoxiae, tum confiteri unam naturam Dei Verbi incarnatam, tum dicere Christum *esse* unam naturam, id est, unam hypostasim, ex divinitate et ex humanitate, absque confusione compositam. — IX. Reprehensio impiorum, qui effatum Gregorii thaumaturgi improbans duas naturas dici atque definiri unum Christum, tanquam fictum calumniantur. — X. Disputatio adversus eos, qui praesumunt impie machinari atque dicere idem esse unum Christum dicere « unam naturam Dei Verbi incarnatam » et « duas naturas unitas », ex apostolicis verbis Athanasii. — XI. Quod oportet confiteri inter se diversas secundum substantiam divinitatem et humanitatem, ex quibus unus Christus est, atque fugere sectionem dualitatis post unionem; quodque idem non est dicere unum Christum « ex duabus

*p. 4. (margin)

naturis » atque impie dicere eum « in duabus naturis » cognosci.* — XII. Demonstratio ostendens illam confessionem: « Christus, post unionem, est duae naturae indivisae » opponi huic confessioni: « Una *est* natura Filii incarnata », et reprehensio corruptae et impiae interpretationis verborum sapientis Cyrilli. — XIII. Quod et Nestorius, cum duas naturas unitas diceret, deprehensus est confitens dilectionis unionem, cuius partus est dualitas, sicut verae unionis effectus est unum secundum compositionem et una natura atque una hypostasis Verbi incarnata. — XIV. Quod id, quod in cogitatione et sola contemplatione separent, non convenit iis, qui duas naturas post unionem dicunt; et quod vera et pseudonyma unio ex suis effectibus agnoscuntur. — XV. Quod haereticis, quasi pactione facta et sub specie pacis, curae est dicere: « Dicamus voces tum nostras, tum orthodoxis solitas »: quod verbum veritatis nunquam probabit. Itaque dici nequit, post inexplicabilem unionem, *esse* et duas naturas individuas et unam *naturam* incarnatam. — XVI. Quod unaquaeque ex his *formulis, quibus* Christum et confitemur ex duabus naturis *esse*, et dicimus unam *esse* naturam Dei Verbi incarnatam, stabilit perfectam significationem suam, cuius causa etiam assumpta est. Eversio huius *assertionis:* suspicionem haeresium habere id, quod dicamus *Christum* esse « unam naturam Verbi incarnatam », nisi *simul* confiteamur illum etiam « in duabus naturis individuis » intelligi. — XVII. Confutatio malitiae haereticorum existimantis fore ut impietatem mutatione vocum abscondat, atque dicentis *formulam « in* duabus naturis » *tanquam* « in duabus substantiis » intelligendam esse. — XVIII. Investigatio confutationis clare significans hanc assertionem: « Christus est in duabus substantiis secundum communem substantiae significationem », ad stultissimam ducere blasphemiam, *scilicet* ad id, quod sancta Trinitas toti humanitatis generi incarnata censeatur. — XIX. Demonstratio absolvens ea, quae in superiori capite considerata et ostensa sunt, *scilicet qua ostenditur* eandem parari blasphemiam hac assertione: « In Christo habetur tota divinitatis substantia totaque humanitatis substantia », atque eum minime dividere substantiam divinitatis, qui non ita indecore sentit. — XX. Cyrilli de substantia et hypostasi

*p. 5. (margin)

doctrina, qua detegitur impietas et amentia blasphemiae. — XXI. Quod, ubi ex duabus naturis Emmanuelem recte confitemur, neque * ex duabus substantiis dicimus *eum*, quatenus in coniunctione et secundum substantiae communitatem concipitur, neque rursus ex duabus personis, quemadmodum iste impius nos vane calumniando suspicatus est. — XXII. Quomodo *formula:* « Christus ex duabus naturis seu hypostasibus *esse* concipitur et dicitur », et contemplationem differentiae eorum, quae absque defectu in unum congregata sunt, secundum cogitationem tantum in compositione considerandam praebet, simulque post unionis cogitationem ab omni dualitate, ab impiis inducta, et substantiarum et personarum et hypostasium et naturarum fugit. — XXIII. Quod hypostasibus, ubi singillatim et separate subsistunt, speciales personae attribuuntur; ubi vero *istae hypostases* concurrunt ad naturalem unionem et unam ex duabus hypostasim absolvunt, unam habent personam. — XXIV. Quod inerudite et audacter *verba* sancti Cyrilli detorquet, dicitque hypostasium coniunctionem secundum naturalem unionem esse unionem substantiarum secundum communem significationem. — XXV. Quod cum iste impius assereret substantiarum secundum communem significationem esse Emmanuelis unionem, ex ignorantia non animadvertit se ad habitudinalem unionem pro naturali *unione* delabi atque aberrare. — XXVI. Evertitur multis *argumentis* diversa impudentiae interpretatio, quae vult naturalem hypostasium unionem esse *unionem* substantiarum secundum communem significationem. — XXVII. Quod etiam Nestorius, eadem impietate inebriatus, in eum sermonem veniebat ut diceret ipsam Trinitatem incarnatam esse, et divisionis divinae substantiae orthodoxos insimulabat. — XXVIII. Quod cum Doctores hypostasim Dei Verbi et carnem ex Maria *ortam*, quam sibi naturaliter univit, et « substantias » et « naturas » et « hypostases » vocant, non genericas substantias secundum communem significationem *esse censent* ea, ex quibus unus Christus *esse* intelligitur. — XXIX. Notificatio disputationis iam in superiori capite habitae adversus impiam et amentem quaestionem, quae dicit: Si dicatis Christum consubstantialem Deo et Patri secundum divinitatem nobisque consubstantialem secundum humanitatem, cogimini il-

lum in duabus substantiis dicere. — XXX. Quod ridiculum est id, quod dicunt isti impii, *nempe* se dicere Christum in duabus naturis, ne deprehendantur dicentes, ut Nestorius, in duabus hypostasibus *Christum esse*: nam ipse quoque Nestorius tum in duabus substantiis, tum in duabus naturis Christum esse dicebat. —XXXI. Quod vane * ex ignorantia isti impii illudunt *sententiae*, qua post unionem unam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur, ac si ante unionem duae naturae fuissent, post unionem vero una ex illis sublata fuisset. — XXXII. Quod Nestorius quoque unius naturae dissipationem et defectionem arguebat; et quod frustra zelatores eius, contaminantes blasphemiam suam, asserunt se dicere unum Christum non quidem duas hypostases, sed duas substantias *esse*; et quod hypostaticam unionem etiam unionem secundum substantiam Ecclesiae doctores vocaverunt. — XXXIII. Quod, supra impietatem, etiam ad ineruditionem omnino pertinet et ad novationem ignorantia plenam id, quod dicitur: « Quia Christum dicimus Deo et Patri secundum divinitatem consubstantialem, nobisque secundum humanitatem consubstantialem, ideo illum in duabus substantiis confitemur, minime vero in duabus hypostasibus, quia illum neque Patri cohypostaticum, neque nobis cohypostaticum dicimus ». — XXXIV. Quod mendax est verbum impii *Grammatici* contendentis se non increpatum aut redargutum esse in Theodoreto, duas naturas confitente unum Christum *esse* post inexplicabilem unionem, a sancto Cyrillo, qui silentium tenuit, ut ait, de nominatione dualitatis naturarum. — XXXV. Quod sapiens Cyrillus redarguit Theodoretum per nomen formarum naturas in personas mutantem. — XXXVI. Quod per ea, quibus iste impius Theodoretum propter duarum naturarum vel duarum formarum sententiam malitiose laudavit, non latuit proferens defensionem Tomi Leonis, qui in formas atque naturas unum Christum per eam, quae subicitur, blasphemiam similiter dividit. — XXXVII. Quod communionis et familiaritatis nomen alio et vario et prorsus diverso modo tradiderunt ii, qui hypostaticam et naturalem unionem confitentur, non autem sicut ii, qui habitudinis et voluntatis unionem fingunt, et duas formas aut duas naturas operantes ponunt atque proprie dividunt, rursusque passiones et miracula appropriant.

— XXXVIII. Fusa investigatio, quae manifeste ostendit Theodoretum commemorantem duas naturas simili modo ac Nestorius quoque *eas* commemoraverat; et quod dicere non licet eum bene sentire, qui post inexplicabilem unionem duplicitatem naturarum dicit, *et* prorsus ac continuo hypostaticam unionem negat, et * ad habitudinis *unionem* properat; et quod non demonstratur istos impios sane sentire ex eo, quod ipsi Doctores ad veritatem eorum voces adduxerint, ut earum ope constringerent illos. — XXXIX. Quod sibi ipsi adversatur iste impius et ineruditus, qui dicit Theodoretum duas naturas innocenter commemoravisse, et contendit seipsum confiteri hypostaticam unionem et deserere habitudinis *unionem*, cum duas naturas et hypostatice unitas, ut ait, et personarum expertes mendaciter asserat. — XL. Demonstratio *huius*, quod Leo quoque in Tomo habitudinalem ex dignitate unionem inducit, quam mente tenebant magistri Theodoreti: quod etiam manifeste significat subiecta blasphemia; et quod huiusmodi unionem solent etiam inhabitationem et adhaesionem vocare. — XLI. Ad quamnam impietatem deducit id, quod Leo dicit: « dum invicem sunt et humilitas humanitatis et altitudo deitatis [1] »; et quis est rectus sensus vocis « templum » et « inhabitare »; et quod Nestorius concorditer et consentanee, sicut Leo, negationem mutationis Dei et consumptionis hominis causam efficit huius quasi secundum dignitatem unionis. — XLII. Destructio huiusmodi futilium causarum, quas haeretici iactant, ostendens ab illis liberam esse veram et hypostaticam unionem. — XLIII. Quod is, qui dicit Deum Verbum miserationis affectu sibi hominem uniisse, nec eum divinae dignitatis maiestate consumpsisse, confitendo habitudinis unionem secundum personam, frustra nominat eam, quae secundum hypostasim est, unionem, cum alienus sit ab ea, cuius id proprium est, absque defectu ex duobus unam naturam Verbi incarnatam absolvere, sempiternis et Deo dignis istis honoribus sic quoque refulgentem. — XLIV. Quod ii, qui dicunt secundum dignitatem hominem Deo Verbo unitum esse, alium Filium inducunt: principalis enim et

[1] *P. Lat.*, LIV, 767.

summa dignitas filiatio est; et quod istam unionem etiam inhabitationem vocant, atque non animadvertunt quod habitudinalem nostram coniunctionem, secundum quam vocati sumus ad adoptionem filiorum, ad suum Christum inter filios assumptum, transferunt. — XLV. Quod orthodoxis vocibus medie se habentibus utentes, iis interserunt unionem illam, quae ex dignitate *oritur*, ut per hoc eae *voces*, quae suspectae sunt, recte spargi censeantur; et manifesta demonstratio huius *assertionis sunt* ea, quae * a Theodoreto et a Leone similiter scripta sunt. — XLVI. Quod eorum, qui illam, quae secundum dignitatem est, unionem insane proponunt, est dicere Dei Verbum carnem vocasse suam, ita ut ex meris nominibus habeatur unio, itemque dicere quod Christo tanquam homini et tanquam Deo creatura subicitur illumque adorat; exinde enim et duo filii et duo Christi concipiuntur, unus quidem perfectus, alter autem imperfectus, et subintroductus: quod Patres, quos sequimur, anathematizarunt. — XLVII. Quod Nestorius quoque, sicut Theodoretus et Leo, per voces medie se habentes personam pietatis imitabatur, cum unio ex dignitate *orta* ipsi dolus esset et machinatio ad dicendum se et duas naturas indivisas confiteri et cogitatione tantum dividere; et quod dicebat eas inter se tum voluntatem tum operationem communicare. — XLVIII. Quod unionem secundum dignitatem Leo vocavit unitatem personae, sicut et Theodorus et Nestorius; et quod solent, ad impietatem suam tegendam, nominum permutationibus uti, et « hominem assumptum » appellare id, quod assumptum est, rursusque « Deum » et « hominem » divinitatem et humanitatem nominare. — XLIX. Quod etiam Theodorus unionem « personae » singulariter, non autem « personarum » pluraliter vocabat illam *unionem* per participationem dignitatis et gloriae et contumeliae coniunctam; et quod Leo, cum dicit: « ut unum *Dei* Filium et Verbum confiteremur et carnem [1] », redarguitur quod uno Filii nomine Deum et hominem colliget; et quod impiae dualitatis post unionem causam praetexuerunt illam secundum substantiam differentiam eorum, quae absque confusione in unum congregata sunt. — L. Quod in divisione in

[1] *P. Lat.*, LIV, 773.

duo, etsi quis sola cogitatione dividit, statim etiam cuiusque naturae seu hypostaseos simul et persona intelligitur; ingrediens autem virtus hypostaticae unionis destruit ipsam dualitatis cogitationem, unamque ex duobus ostendit naturam Verbi incarnatam; et exinde apparet fieri non posse ut naturas 5 illas, ex quibus unus Christus *constituitur*, dicat quis substantias secundum communem significationem. Quod Leo, quotiescumque unionem commemoravit, vel unitatem personae, vel communionem auctoritatis et dignitatis illam vocavit, nullibi autem illam naturalem vel hypostaticam nominavit. — LI. 10 Quod Chalcedonenses, * in duabus naturis et una hypostasi Christum definientes, nomine « hypostasis » pro appellatione « persona » usi sunt: quae *formula* per eam, quae secundum dignitatem *est*, unionem in uno Christi et Filii nomine utramque naturam comprehendit, idque 15 Theodoretus manifeste scripsit, interpretando definitionem eorum. Et quod in iis, quae in ipsa synodo scripta sunt, reiecta est quidem *formula, quae* dicit ex duabus naturis unum Christum, suscepta autem *formula, quae* illum in duabus naturis unitis et indivisis definit, ita ut mentio 20 epistularum Cyrilli in ipsa definitione quasi per illusionem apposita, otiosa fieret. — LII. Quod Iohannes ex Cilicia et Dorotheus ex Marcianopoli, nestoriani aperti, dixerunt Leonis Tomo suas sententias[1] praedicari; et quod Theodoretus quoque, cum concordantia *verbis* istorum diceret, ex Nestorii scriptis 25 ostendit quomodo chalcedonensis synodus in duabus naturis et in una persona atque hypostasi unum Christum intelligi dixerit. — LIII. Quod postquam Theodoretus in Chalcedone Nestorium coactus anathematizaverat, idem rursus post Chalcedonem ex ipsius Nestorii vocibus synodi definitionem inter- 30 pretatus est. Et quod ridiculus atque sibimet ipsi contrarius est is, qui synodi defensor fit et Theodoretum laudat atque dicit quod confitetur ipsum Christum ex duabus naturis compositum: quod neque synodus dixit, neque Tomus Leonis, sed e contrario pseudonymam secundum dignitatem unionem *dicunt*. 35 — LIV. Quod Iohannem ex Cilicia anathematizantes, neque

*p. 10.

[1] In margine: « Sententia pro doctrina sua ponitur ».

Theodoretum rursus, neque nequitiam impietatemque eorum redarguunt; et [quod] Theodoretus, idem impietate sua manens, saepissime cum temporibus mutabatur. — LV. Confutatio ipsius impii *Grammatici*, qui dixit Theodoretum, in reprehen- 5 sionibus capitulorum *Cyrilli*, suspicionis tantum duarum personarum accusationem provocasse, cum manifeste dixerit *Theodoretus* duos *esse* christos et filios et Christum secundum carnem, tanquam prophetam, revelationes accepisse. Et quod haec blasphemia qualis sit, ex iis, qui olim talibus haeresibus 10 laboraverunt atque ex orthodoxa sanctorum Patrum institutione, intelligitur. — LVI. Manifesta investigatio aliarum quoque Theodoreti blasphemiarum, et comparatio similium Leonis vocum, quibus duas personas ad duas formas duasque naturas adducunt, * impietatem suam mutata nominum usur- 15 patione variantes et, ut dualitati congruit interrogantes quaenam *natura* passa sit; et ostenditur id alienum esse ab iis, qui unum Christum *esse* sentiunt. — LVII. Quod ii, qui in duabus naturis indivisis Christum definiunt, et asserunt se dicere illum unum eundemque esse, id ipsum secundum per- 20 sonae atque ex dignitate *ortam* unionem machinantes dicunt: quam *personae unionem* impius iste defensor, cum Leonis verba apponeret, erubescens resecuit. — EXPLICIT PROLOGUS DE CAPITIBUS PRIORIS VOLUMINIS LIBRI CONTRA GRAMMATICUM SANCTI MAR SEVERI, PATRIARCHAE ANTIOCHIAE.

*p. 11.

*p. 12. *VOLUMEN PRIMUM LIBRI SANCTI MAR SEVERI, PATRIARCHAE ANTIOCHIAE, CONTRA GRAMMATICUM.

Liber scriptus a sancto Severo, patriarcha et archiepiscopo Antiochiae, ad eum qui indicaverat ea, quae impie et inerudite effutita erant a blasphemo Grammatico; quem *librum* incepit quidem cum adhuc esset in ea ipsa civitate, absolvit autem postquam ab ea recessit ob persecutionem, quae propter veram fidem adversus Ecclesiam surrexit.

[ORATIO PRIMA]

CAPUT PRIMUM

Laudatio eius, qui de libello impietatis occultato indicavit; et quod non sine mercede apud Deum est propter talia zelo exardescere.

Animae virorum Deum amantium tui similium profecto opus est excelsae et supremae gloriae causa dolere graviterque contristari et maerere cum de nonnullis audiunt acuentibus et armantibus in caelum blasphemum os suum, et iniquitatem quidem in excelso loquentibus, lingua autem sua circumeuntibus in terra [1] et super eam repentibus frustraque volutis. Quae enim esset via iis, qui istius verba loquuntur? Iste pater est mendacii [2] atque inventor et caput peccati, de quo Dominus decrevit, dicens: « Super pectus tuum et super ventrem tuum gradieris et terram comedes cunctis * diebus tuis [3]. » Ideo, impossibile est divinam sententiam mutari, quamvis « transfiguret se in angelum lucis » draco, caput malitiae, ut dixit Paulus [4]; et quamvis, ut scripsit de illo Isaias, sese extollens dicat: « In caelum conscendam et super caelum ponam solium meum [5] », frustra quidem tumescit et forsan terret solummodo eos, qui non confidunt in Domino, sed a terra non recedit; super eam graditur, in ea habitat, eam comedit. Sic ergo et filii huius serpentis, blasphemia Deo inimica et malitia patrem suum imitantes, nihil aliud sunt et ipsi quam serpentes et a

(* p. 13.)

1 Cfr *Psalm.* LXXII, 8-9. — 2 Cfr IOH., VIII, 44. — 3 *Genes.*, III, 14. — 4 II *Cor.*, XI, 14. — 5 ISAI., XIV, 13.

sermone divino hac appellatione vocantur: « serpentes genimina viperarum [1] », ipsamque causam addit, dicens: « Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? [2] ». Saepe audent sub specie pietatis rebus theologicis se implicare et super spiritualem petram, quae Christus est [3], reptare. Cum autem a levitate et incomprehensibilitate eius decidant, — talis enim est veritas, — et per squamas, id est, per maleficas blasphemiarum suarum prehensiones nihil possint, neque flexum neque concavum, tenere in ea, aut, ut generatim dicamus, *nihil* tortuosum arripere in ea, in terram relabuntur; calcabile enim non est illis verbum iustitiae, quod undique aequale est et simplex. Attamen etiam cum infra sunt, se haberi volunt ambulantes supra petram et fraudulentis verbis simulant se divina loqui, dum sua intermiscent, ut lateant, mendacium suum veritati suasorie miscendo, virus suum in eos, * qui sani sunt, proicientes. Ad hoc puto referri id, quod allegorice dictum est ab auctore libri Proverbiorum et docte illustrat simplicem filiorum pietatis conversationem: « Non possum scire vias colubri super petram [4] ». Dicendo autem: « non possum », rursusque sic sibi aptando personam eorum qui nuperrime accesserunt et in disciplinis introductionum ad proverbia erudiuntur, indicavit non impossibile esse id intelligi ab iis, qui ex doctrina inspirata Pauli sensum Christi habent [5], et possunt dicere de dracone apostata et de iis, qui ex illo generantur: « Non enim ignoramus cogitationes eius [6] ».

(* p. 14.)

Quid ergo mirum si tu, qui scripturis divinis educatus es et vitam tuam separasti Deo et ad principalia et necessaria te applicuisti, atque meditaris quae sursum sunt quaerere, ubi Christus est, quae sursum sunt sapere, non quae super terram [7], ubi in manus libellum istum immundum sumpsisti, agnoveris istas dolosas et serpentinas vias, quae simulant quidem se evehere ad petram, quia Dominum Iesum Christum unum, minimeque duos, dicere putantur, ementitam autem hanc personam pietatis duplicitate naturarum statim dividunt, et

1 MATTH., XXIII, 33. — 2 MATTH., XII, 34. — 3 Cfr I *Cor.*, X, 4. — 4 *Prov.*, XXX, 19 (iuxta Vulg.) — 5 Cfr I *Cor.*, II, 16. — 6 II *Cor.*, II, 11. — 7 Cfr *Coloss.*, III, 1-2.

in nugas cultus hominis proiciunt eos, qui per eas aberrantes persuasi sunt ut non firmiter incederent? De quibus dixisti te etiam flevisse et ideo in duplum auctus est tibi dolor huius in Deum blasphemiae et consumit te cor tuum zelo et dicis ea, quae prophetice quidem per David cantata sunt, ad effectum autem adducta sunt in Christo et nobis exemplum in similibus proponunt: « Zelus domus tuae comedit me et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me [1] ». Omnis enim anima, quae timet Deum, agnoscit eum, qui ipsam creavit; * recte ad se convertit et sua esse putat opprobria in Deum *prolata* et contumelias in Ecclesiam, quae est domus Dei fundata super confessionem orthodoxiae et in fide; propter hanc *fidem* eximius apostolorum beatus declaratus est et petra vocatus est.

Merces ergo zeli tui scripta est in caelis, eo magis quod etiam ad Parvitatem nostram opusculum istud ineruditum et impium detulisti et incitasti nos ad educendum in illud « gladium spiritus, quod est verbum Dei [2] » et « consilia destruit et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei [3] ». Quapropter credo te adducturum esse in te etiam benedictionem levitarum eorum, qui manus suas armaverunt adversus eos, qui impie egerunt in deserto et « mutaverunt gloriam Dei in similitudine vituli comedentis faenum [4] », ut dixit David propheta irridens stultitiam eorum. Quae est benedictio? Ea profecto, quam Moyses clamavit ad eos, sic dicens: « Implevistis manus vestras hodie Domino, ut detur super vos benedictio [5] ». Itaque et tibi, paululum mutantes effatum, apte dicemus: « Implevisti hodie linguam tuam Domino »; addemus autem « et manum tuam », quae nobis per calamum signum dedit pugnae [6] pro gloria Dei, « ut detur super te benedictio ».

CAPUT SECUNDUM

Quod oportet ea, quae quomodocunque adversus veritatis verbum scribuntur, sollicite et fuse solvamus, quin indagemus quis aut qualis sit, qui scripserit impietatem.

[1] *Psalm.* LXVIII, 10. — [2] *Ephes.*, VI, 17. — [3] II *Cor.*, X, 4-5. — [4] *Psalm.* CV, 20. — [5] *Exod.*, XXXII, 29. — [6] σημαίνειν τὸ πολεμικόν.

His autem sic a me dictis et scriptis, manifeste scis me profiteri magnae me tibi gratiae * debitorem esse. Equidem volebam impium tomum statim confutare et, ut scriptum est [1], manum meam super foramen aspidis levare, cubile filiorum earum explorare et cavernas eorum revelare, sicque super eos ambulare et caput eorum confringere, per virtutem illius, qui dixit apostolis et iis, qui per illos in ipsum crediderint: « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit [2] ». Id ipsum autem per prophetiam Isaiae parvulis quoque et lacte adhuc indigentibus copiosissime promittebat, haec dicens: « Puer parvulus mittet manum suam in foramen aspidis et super cubile filiorum aspidum, et non nocebunt, neque vel unum perdere poterunt in monte sancto meo; quia impleta est universa terra scientia Domini, sicut aquae multae ad operienda maria [3]. »

Sed quid fecissem, cum iacerem in negotiis ecclesiasticis permultis caputque meum exsuperantibus et exinde ne respirare quidem mihi concederetur, rursusque cum in illis diebus per populi tumultus tinnirent aures meae, atque ego plerumque solus impetus exinde *factos* exciperem, quia nonnulli ex propria malitia huic magnae et Christi amantissimae civitati omnium generum perturbationes paraverant?

Quoniam vero nunc, per gratiam eius, qui pacem dedit dicendo: « Pacem meam do vobis [4] », ad iucundam quietem, sedata populi conturbatione, constitutio civitatis reversa est, et ab una tantum parte, id est, ab Ecclesiae curis, trahimur, neque iam, ut dicitur, natantes in freto utrimque * angimur, studiose, ut vides, occasionem nobis oblatam arripientes, incitationi tuae occurrimus, et stantes super montem sanctum veritatis, non timemus illas sententias et voces, quae venenum inspirant et reptant super terram. Confidimus enim ei, qui dixit [5]. Nonne propheta, si talia in auxilium advocaremus, sententiis appositis adiceret: « Nonne populus ad Deum suum? Quid a mortuis

[1] Cfr ISAI., XI, 8; *Psalm*, XC, 13; LXXIII, 13. — [2] LUC., X, 19. — [3] ISAI., XI, 8-9. — [4] IOH., XIV, 27. — [5] Supplenda videntur verba Scripturae supra laudata.

de vivis quaerunt? Legem enim in auxilium dedit, ut dicant: non sicut verbum istud [1] »? Etenim nos quoque, « genus electum et gens sancta », ut dixit Petrus [2] et ante illum Moyses [3], imo is, qui apparuit ei, tantummodo respiciemus ad Christum Deum nostrum, qui etiam invocatus est super nos [4], minimeque de vivis Spiritus verbis haec mortua et infirma et humana inquiremus: sic enim alicubi Stephanus quoque, princeps et primus martyrum, ad Iudaeos loquens de Moyse dicit: « Qui accepit verba viva ad dandum *ea* nobis [5] ». Hoc ergo dicit propheta, sub interrogationis figura reprehensionem faciendo: « Nonne populus ad Deum suum? », id est: nonne populus Dei ad Deum suum accedet? Quid ergo interrogant mortuos de vivis, ubi Deus legem in auxilium dedit, ut ii, qui eam acceperunt et ei obediunt atque auxilii ab ea *dati* participes efficiuntur, etiam dicant: « Non sicut verbum istud »? Omnia enim superavit sermo et spiritus divinus et efficax legis, quia etiam « vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior gladio ancipiti [6] ». Nonne ideo discipuli hanc magnam promissionem accipiebant: « Ponite ergo in cordibus vestris et ne praemeditemini quid locuturi sitis. Ego enim dabo * vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere aut contradicere omnes adversarii vestri [7]. »

* p. 18.

Cum igitur in hoc invicto auxilio ego quoque parvus totam *meam* spem reponam, ea quae dicta sunt ad apostolos et ad eos qui doctrinae nomen et rem post ipsos sortiti sunt et fortiter steterunt in sancta Ecclesia, in medium proferam: quae ea quidem, quae recte se habent, testantur, ea autem respuunt, quae ab adversario peregrine inducta sunt, compluries de corde ipsius, non de ore Domini [8], sicut quidam ex prophetis dixit.

CAPUT TERTIUM

Quod haereticorum mos est ut causas fingant personamque sese defendentis induant.

[1] Isai., viii, 19-20. — [2] I Petr., ii, 9. — [3] *Exod.*, xix, 6. — [4] Cfr Iac., ii, 7 — [5] *Act.*, vii, 38. — [6] *Hebr.*, iv, 12. — [7] Luc., xxi, 14-15, — [8] Ier., xxiii, 16.

Et primo quidem quasi prologum texuit ad quosdam monachos ducentes vitam immaterialem minimeque sese inserentes negotiis eorum, qui in mundo conversantur. Putat enim Grammaticus eos, qui talem vitam ducunt atque in lege Dei profitentur se meditari die ac nocte [1], peritia artis et doctrinae ipsius indigere. Secundo autem dicit se quasi persecutionem propter pietatem patientem, timere minas eorum, qui *ipsum* persequuntur. Et ad istos quidem monachos, qui per falsam scriptionem [2] conficti sunt, ego dicam id, quod Elias thesbites dicebat ad Israelitas [3], qui ita recesserant a servitio Dei ut etiam muscam deificarent et eam adirent ad quaerendum aliquod oraculum* et aliquam revelationem: « Numquid propterea quod non est Deus aut propheta in Israel vos itis ad interrogandum Beelzebub muscam Dei Accaron? [4] ». « Sic ergo, ut dixit Paulus [5], non est inter vos vel unus sapiens », qui possit discernere quae sit veritas fidei, ut valeat alienum reicere, sed indigeatis grammatico adiutore *tanquam* interprete doctrinarum?

* p. 19.

Ad illud autem, quod causam praetexens [6] dicat se minas timere et tremere atque in metu scribere, — et haec per totum librum pessime repetens, infirmis utitur conviciis, et opprobriis atque iactantiae blasphemiaeque audacia extollitur, — quid dicemus, nisi *hoc:* Cognatae sunt haereticis machinationes et simulationes semperque sollicite curant fugientis partes sibi affingere ut demissa specie auditorem attrahant. Quid igitur etiam dicit? Grammaticus: « Audacissime nos aggrediuntur filii haereticorum, quos nunc quoque ne nomine appellemus metus est; qui tanta audacia pleni sunt, non tam in nos quam in fidem orthodoxam [7] ». Nonne ita sanctus Basilius increpat iniquum Eunomium inanem timorem praetexentem in huiusmodi nugis: Eunomius: « Insuper ne offendatis in nobis ullo modo, si debilitatem [8] quidem ac timorem negligentes, gratiae vero ac securitati praesenti futurorum fiduciam praeferentes, magisque quam omnem terrestrem

[1] Cfr *Psalm.* i, 2. — [2] πλαστογραφία. — [3] Forsitan corrigendus est textus syriacus; legerit interpres in graeco: τοῖς περὶ Ὀχοζείαν, et intelligendum esset: « ad Ochoziam et viros eius. — [4] IV *Reg.*, i, 3. — [5] Cfr I *Cor.*, vi, 5. — [6] προφασιζόμενος. — [7] Locum non repperi. — [8] In textu graeco legitur vox τῦφος.

vexationem et temporalem mortem minas impiis intentatas timendas esse arbitrati, omni velamine nudatam veritatem scribamus [1]. »

Eodem modo iste quoque egregius dicit se non tantum sibi quantum fidei orthodoxae *intentas* minas timere: hanc enim manifesto * inicit cogitationem. Etenim ita et Eunomius dixit se, spretis timore et morte temporali caeterisque praeter haec enumeratis, malle manifesto absque omni velamine scribere veritatem, et *declaravit* minas impiis a Deo intentatas imprimis timendas esse.

Doleatis igitur, o auditores, cum eo qui minas fidei intentatas in semetipsum transfert vultque pro illa quantum potest pugnare. Expone ergo, o strenue, expone minas, et plures invenies, qui tecum doleant, auditores.

CAPUT QUARTUM

Quod sine scripto et sine ostensione de nobis, qui unam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur, mentitus est, quasi confunderemus et in unam substantiam [2] reduceremus carnem et divinitatem.

« Sanctam synodum chalcedonensem, ait *Grammaticus*, sedulo anathematizant, ut Eutychetem et eos qui placita eius aemulantur, in medium altare nobis adducant et sine velamine divinitatem et carnem Christi tanquam unam substantiam unamque naturam *efficientes* praedicent. Non enim erubescunt adversantes Gregorio thaumaturgo dicenti in undecimo anathematismo: « Si quis dixerit carnem Christi *esse* consubstantialem divinitati, et non confessus fuerit eum in forma Dei esse Deum saeculis anteriorem et semetipsum exinanivisse formamque servi, ut scriptum est, assumpsisse cum incarnatus est, anathema sit [3]. » Sed nec Athanasium verentur, stellam civitatis Alexandrinorum; similia enim his Thaumaturgi *verbis* et ipse dixit, in epistula ad Epictetum haec scribendo: [ATHANASIUS]: « Quisnam infernus eructavit ut diceretur corpus ex * Maria *natum* consubstantiale *esse* divinitati Verbi, aut Verbum in carnem et ossa et capillos et in totum corpus mutatum esse [4]? »

1 *P. Gr.*, XXIX, 508. — 2 οὐσία. — 3 *P. Gr.*, X, 1128. — 4 *P. Gr.*, XXVI, 1052. Locum Grammatici non repperi.

O qualem accusationem, quam astutam, quam inevitabilem Patrumque testimoniis munitam! Potes ergo dicere, o *Grammatice*, — nam ad me respicit totus sermo tuus, sicut in multis locis libelli tui confessus es, — me ipsis verbis declarasse consubstantiale Deo Verbo esse corpus ex Maria virgine deipara assumptum, anima rationabili animatum, ipsi *Verbo* hypostatice unitum. Etenim « non in abscondito locutus sum, neque in loco terrae tenebroso [1] », sicut alicubi dixit Isaias propheta, id est, is qui in illo loquebatur, pudorem incutiens audaci et caeco ad evidentia. Appone hic et ostende quid de accusatione tua in me inveneris. Assume tibi consortes accusationis tuae iudices: iudices enim revera sunt ii, qui cum amore veritatis occurrunt iis, quae a te in nos compacta sunt. Num tempus mihi est ad te dicere ea, quae Iacob ad Laban *dicebat:* « Quodnam est delictum meum et quodnam peccatum meum, quoniam insecutus es me, et quia scrutatus es omnia vasa domus meae? Quid invenisti ex omnibus vasis domus tuae? Pone hic coram fratribus tuis et coram fratribus meis, et iudicent inter nos [2]. » Vasa enim domus tuae sunt haec, prorsus autem aliena a *domo* mea: *scilicet* dicere consubstantiale esse Deo Verbo sanctum corpus ex Maria assumptum, atque *dicere* immutabilem et increatam Unigeniti divinitatem in carnem mutatam esse, aut rursus carnem mutatam esse in divinitatis substantiam. Ostende synodum orientalem venerabilium episcoporum haec communiter [3] scripsisse, quamvis pluries et ad multos scripserit, praesertimque ad * sanctam synodum Ægypti et ad thronum evangelicum ecclesiae Alexandrinorum, qui est caput eorum. Considera utrum non ubique tum contemperationem, tum mixtionem, tum mutationem, tum confusionem substantiarum, imo suspicionem *earum*, et e regione sectionem atque separationem expulerint reiecerintque a divina inhumanatione, et anathema decreverint in eos, qui ita sentirent, et quidem tota mente et toto ore. Haec autem ipsa venerabilis quoque synodus Ægypti ad synodum orientalem haud semel atque iterum *tantum*, sed etiam saepenumero ipsis verbis et scripsit et ad se scripta accepit, et ab utraque parte concorditer pro-

1 ISAI., XLV, 19. — 2 *Genes.*, XXXI, 36-37. — 3 ἐν κοινῷ.

clamatus est Christus Verbum Dei vere inhumanatum incarnatumque carne nobis consubstantiali, anima rationabili animata, et per omnia, excepto peccato, generi hominum assimilatum, ut sit idem Patri quidem et sancto Spiritui secundum divinitatem consubstantialis, nobis autem consubstantialis secundum humanitatem factus sit et sit et nunquam esse desinat: iterum enim venturus est corpore indutus[1] cum Deo digna sublimique gloria is, qui prius et ante saecula corporis expers[2] *erat*, qui unus est Filius, unus Dominus Iesus Christus, una persona, una hypostasis, una natura Dei Verbi incarnata, sicque iudicabit orbem terrarum in iustitia et videbitur ab iis, qui ipsum pupugerunt, sicut sacra Scriptura clamat[3].

Numquid ergo eos haec sentire et in synodicis scripsisse, quemadmodum tota sub caelo *terra* testatur, — ubique enim disseminati docuerunt quae scripta erant, — te solum latuit? « Neque enim in angulo hoc factum est », dicebat Paulus ad Agrippam ducem. Existimas autem eos, quia anathematizant synodum * chalcedonensem, malis impiisque Eutychetis opiniunculis studere, aut eamdem substantiam[4] tribuere corpori ex Maria sumpto et Deo Verbo, cuius per inhumanationem proprium factum est corpus nobis homogeneum et consubstantiale, atque tam immunda ad sancta penetralia et ad altaria sacrilege efferre. At adversus te loquuntur et graviter increpant vane procaces tui similes ea, quae saepenumero ab illis scripta sunt.

* p. 23.

Noli igitur quaerere, sicut divus Athanasius, quis infernus tam immunda et blasphema eructaverit, sed inspice teipsum, si velis, et manifesto videbis guttur tuum tantum haec super nos eructavisse; et illud lege *verbum*, quod in te cadit, scriptum a Davide dicente: « Sepulchra patentia guttura eorum; linguis suis dolosi sunt: condemna eos, Deus[5] ». Quomodo enim non esses reus iudicii Dei, qui hanc accusationem scripsisti in duas sanctas synodos, quin ullum apponeres argumentum, — nihil enim habebas, quod diceres; — sed statim aufugisti et, dimissa accusatoris persona, sicut artis tuae *rationibus* ludere soles,

[1] ἐνσώματος. — [2] ἀσώματος. — [3] ZACH., XII, 10; cfr IOH., XIX, 37; *Apoc.*, I, 7. — [4] ταὐτότης τῆς οὐσίας. — [5] — [5] *Psalm.* V, 10-11.

modeste rursus induisti *personam* fugientis, postquam ut lacerta quidem properaveras ad accusationem, vulpis autem calliditatem indueras. Dixisti enim, ad hanc audacem furtivamque commutationem te convertens: GRAMMATICUS: « Sed non est nunc tempus arguendi impias doctrinas eorum. Puto enim satis fore mihi si eorum, quae recte se habent et a sanctis Patribus, qui in Chalcedone *convenerunt*, dicta sunt, patronus fiam[1]. » Si ergo ut patronus fieres defensionemque strueres in medium processisti, oportuit te ab initio defensionem suscipere minimeque ab * accusatione argumento vidua incipere et callide ab ea desistere, atque alicubi sub fine libelli rursus illam *accusationem* parare cum ea fraude, quae tibi congruit, *sed* cuius retibus nemo, nisi animal sit intellectu prorsus orbatum, apprehendetur.

* p. 24.

CAPUT QUINTUM

Accusationis *primum quidem* absque argumento dimissae, deinde *vero* ab eo confirmatae confutatio manifesta, in qua ostenditur istum adversus nos ementiri unam naturam, id est, hypostasim *quasi* unam substantiam a nobis dici, ipsumque per blasphemiam mixtionem vocare compositionem absque mutatione *factam* unius hypostasis ex duabus diversae substantiae rebus effectae.

Excerpta enim exigua quadam sententia ex iis, quae ad infandum Nephalium olim scripsi, putat me confusionis et mixtionis substantiarum reprehensionibus ab ipso subici. Ego autem ipsum versiculum, qui ex contexta oratione ab illo vi desectus est, statim seorsumque transcribam, ut sciant quicumque occurrerint illum *locum* etiam sic *consideratum* procul ab accusatione remotum esse. Nam dum de hominis constitutione verbum facerem, dixi: « Una natura est τὸ συναμφότερον, anima et corpus[2] ».

Quomodo igitur qui confusionem secum cogitaret, unam naturam *esse* τὸ συναμφότερον confiteretur? Si enim ex confusione in unum quid et simplex translata fuerint, quomodo in uno τὸ συναμφότερον apparebit? Nam incon-

[1] Locum non repperi. — [2] Locum non repperi.

fusae in singularite, id est, in una hypostasi, compositionis τό συναμφερον est demonstrativum, minime vero simplicis. Huiusmodi enim est homo nostri similis, una ex anima et corpore natura atque hypostasis. CYRILLUS: « Non enim de iis tantum, quae secundum naturam simplicia sunt, unum vere dicitur, sed etiam de iis, * quae secundum compositionem congregantur: quemadmodum ipse homo aliqua res est ex anima et corpore. Nam diversae secundum speciem sunt istae res, minimeque inter se consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit naturalis differentia eorum, quae ad unitatem adducta sunt [1]. »

Numquid haec non sunt sancti Cyrilli verba, quae ore quidem quasi per delusionem profers, ut recta sentiens habearis, mente vero nullatenus *tenes?* Nisi enim τὸ « natura et hypostasi unum » malitiose sentires idem esse τῷ « substantia *unum* » inanem non inureres maculam iis, qui recte confitentur [2], dum illam absque mutatione compositionem [3] in simplex ex confusione *ortum* transfers.

CAPUT SEXTUM

Quod sanctus quoque Cyrillus iisdem doctrinis et concordantibus verbis vanam calumniam eorum, qui Iudaeos agentes commixtionis *ipsum* arguebant, repulit.

Haereticis enim tunc, sicut et tibi nunc, magnae curae fuisse unam naturam ab orthodoxis proclamatam in aequalitatem substantiae [4] convertere, quasi ad detorquendum id, quod recte se habet, *asserentem* audi sanctum Cyrillum, qui mecum calumniam participat, eamque manifesto repellit. Nam in oratione de eo, quod unus est Christus, cum prius adduxisset alteram personam, illius *scilicet personam* quocum loquebatur, cui respondebat et quocum disceptabat, sic dixit: CYRILLUS: « B. Numquid ergo confusa sunt inter se et una natura facta sunt ambo? — A. At quis ita * stupidus et imperitus sit, ut

1 *P. Gr.*, LXXVII, 241. — 2 Verba: « Nisi enim... confitentur » graece reperies in *Doctrina Patrum*, edit. DIEKAMP, p. 43. — 3 τὴν ἄτρεπτον σύνθεσιν. — 4 ταὐτότης τῆς οὐσίας.

existimet aut naturam divinam Verbi mutatam esse in id, quod non erat, aut carnem translatam esse secundum mutationis modum in *naturam* ipsius Verbi? Nullo modo enim *hoc fieri potest:* unum ergo Filium esse unamque naturam eius dicimus, etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas; concipitur autem a nobis haud secus quam hoc modo Deus simul et homo [1]. »

Ecce ipsum Christum unam naturam esse dixit sanctus *Cyrillus,* « naturam » intelligendo non, secundum te et instantiam impiorum, unam et simplicem, quae eadem est secundum substantiam, sed unam hypostasim, quae ex inconfusa compositione eorum, quae non sunt inter se consubstantialia, *oritur.* Numquid ergo hic quoque, auferendo versiculum ex contexta oratione sententiarum, quae illum sequuntur et praecedunt et in toto orationis apparatu reperiuntur, calumniaberis sapientem Doctorem et fateberis *quidem* eum dixisse: « Unum ergo Filium esse unamque naturam eius dicimus », vibrabis autem vel ipsa eius verba in eum et auctoritatem criminationi adiunges, dicesque ipsum etiam scripsisse, cum secundam epistulam ad Succensum mitteret: CYRILLUS: « Nam si, postquam « unam naturam Verbi » dixeramus, tacuissemus non adicientes « incarnatam [2] », esset fortasse ipsis sermo, et quidem non ineptus, ad simulate interrogandum: Ubinam perfectio humanitatis, aut quomodo subsistit substantia nostri similis? [3] » Cur ergo, *dices,* nunc reticuit « incarnatam », et nudam posuit *sententiam:* « Unum ergo * Filium dicimus esse unamque eius naturam », quin adderet « incarnatam »? At calumniam tuam repellunt et impudens indoctumque os *tuum* occludunt verba quae praecedunt et quae sequuntur in loco excerpto, in quibus repulit et abstulit mutationem et confessus est assumptionem carnis anima rationabili animatae. Nam etiam addidit: CYRILLUS: « etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas [4] », postquam antea abstulisset suspicionem mu-

1 *P. Gr.*, LXXV, 1289. — 2 Omissa sunt verba Cyrilli: ἀλλ' οἷον ἔξω θέντες τὴν οἰκονομίαν. — 3 *P. Gr.*, LXXVII, 244. — 4 *P. Gr.*, LXXV, 1289.

tationis, dixeratque in praecedentibus: « At quis ita stupidus et ineruditus sit, ut existimet aut naturam divinam Verbi mutatam esse in id, quod non erat, aut carnem translatam esse secundum mutationis modum in *naturam* ipsius Verbi? Nullo modo enim *hoc fieri potest* [1]. »

Si igitur audimus Deum et Dominum nostrum Iesum in evangelio dicentem: « Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate [2] », consideremus etiam sententias quae sequuntur versiculum meum et locum sic terminatum. Etenim in iis, quae ad Nephalium scripsi, deiferi Athanasii posui locum, qui reperitur in libro conversationis Antonii, capitis vitae monachismi et verae philosophiae, in modum narrationis composito, ubi luctationem eius cum Calumniatore et consectariam eius victoriam refert dicitque sic: Athanasius: « Nam qui putaverat se Deo similem esse, ab adolescente deludebatur, et qui adversus carnem et sanguinem gloriabatur, ab homine carnem gestante devincebatur. Adiuvabat enim illum Dominus, qui propter nos carnem gestavit et victoriam dedit corpori contra Calumniatorem [3]. » Postea * verbis sancti *Athanasii* haec addidi: « Ecce quomodo tum de homine nostri simili, tum de Domino, posuit *Athanasius verba* σάρκα φορεῖν. Quemadmodum enim nos, qui σάρκα φοροῦντες dicimur, unum quid sumus, una natura τὸ συναμφότερον anima et corpus, minime vero alius ὁ φορῶν et alius ὁ φορούμενος, eodem modo et ipse Dominus cum propria carne, evidenter anima rationabili animata, sine mutatione unus quoque factus est [4]. »

Cur haec abstulisti et unum versiculum dissectum exscripsisti? Numquid iustus es et gaudes in veritate atque fidei zelator es? Cum enim audias absque mutatione Dominum cum propria carne unum factum esse, et ex ineffabili concursu in unitatem unam absolutam esse naturam atque hypostasim, mutationis reprehensione insectaris eos, qui mutationem non confitentur; illumque secundum naturam unum propter singularitatem secundum hypostasim, etsi ex diversis secundum substantiam inconfuse compositus est, non erubescis ταὐτοούσιον intelligere, quasi confusionem passum. Cum vero compingitur [5]

[1] *Ibid.* — [2] Ioh., vii, 24. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 849. — [4] Locum non repperi. — [5] In margine: adhaeret.

etiam locus qui praecedit versiculum vi excerptum et calumnia impetitum, audaciam violentiae clamitat et manifesto ostendit veritatem. Sic enim se habet: « Quemadmodum enim nos, qui σάρκα φοροῦντες dicimur, unum quid sumus, unaque natura τὸ συναμφότερον anima et corpus ». Etenim ad *vocem* « nos » contextus orationis consequenter refertur, hoc modo se habens: « nos, id est, omnis homo, unum quid sumus; una natura sumus τὸ συναμφότερον anima et corpus ». Ablatis autem *verbis* « unum quid sumus », separatim legisti *verba* « una natura τὸ συναμφότερον anima et corpus »; cumque videres ne ex abscissione quidem te capere utilitatem, * — nam confusionis calumniam ipsa vox συναμφότερον infitiabatur, — nomen « naturae » ad « substantiae » *nomen* adduxisti, et illud: « secundum naturam, id est, secundum hypostasim unum », interpretatus es dictum esse *tanquam* « idem et connaturale et homogeneum substantiae [1] ».

Oportebat vero te aliud quid etiam considerare: nempe si hominis exemplum confusione affecissem dixissemque per animae atque corporis mutationem unam esse substantiam et naturam aequalitate substantiae [2], non statim sermoni de Christo adiunxissem scripsissemque: « sine mutatione unus factus est cum propria carne », de quo exemplum mutavissem et confusione affecissem. Inscius enim eodem modo egissem, quemadmodum qui machinam quamdam ad expugnanda moenia exstruit, sed postquam illam exstruxit, cum oporteret ut illam admoveret et illa quatiret moenia atque *opere* elaborato uteretur ad scopum et effectum cuius causa exstructum et diligenter paratum est, hoc quidem non facit, imo ipsa moenia roborat et ipsa machina omnem aditum praecludit.

Ad quid igitur frustra laboras, o bone, qui cum audias a nobis proclamari immutabilem *esse* ineffabilem unionem Dei Verbi cum humanitate, et mutationis accusationem profers, et in libello tuo indocto interrogas me, dicendo: Grammaticus: « Quis ex Ecclesiae doctoribus haec te docuit, o homo? Cyrillus? Atqui talia tradit scribitque presbyteris, diaconis et patribus

[1] ταὐτὸν καὶ ὁμοφυὲς καὶ ὁμογενὲς τῆς οὐσίας. — [2] τῇ τῆς οὐσίας ταυτότητι.

monachorum: *scilicet* Dei genitricem esse virginem Mariam, quemadmodum et hominis anima cum proprio corpore generatur et velut unum quidpiam cum ipso censetur, licet natura ab illo diversa intelligatur et sit secundum propriam rationem[1]. »

* p. 30. At audi eundem Cyrillum dicentem, — nisi * partim *tantum* doctrinas eius audire possis, — animam et corpus hominis, etsi secundum naturam diversa inter se intelliguntur et sunt, unam naturam absolvere per congregationem inter se atque naturalem immutabilis concursus unionem. Scripsit enim in epistula ad Valerianum: CYRILLUS: « Una namque natura et constitutio[2] hominis proclamatur[3]. » Dic igitur etiam ad ipsum, ineruditionis insania perculsus meque frustra pungens: GRAMMATICUS: « Si animam hominis diversam secundum naturam a proprio corpore intelligi et esse dicis, quomodo una est natura et constitutio hominis? Et non erubescis animam et corpus idem esse ponere[4]? » Haec enim manifesto etiam ad nos a te effutita sunt. At occurrit tibi *Cyrillus* dicens, et quidem facillime: « Insane, putasne te latere dum naturae nomen dolose vel inerudite ad substantiae *nomen* reducis et unam naturam, id est, hypostasim, *tanquam* unam eamdemque substantiam intelligis? Ubi enim dixi hominis animam secundum naturam a proprio corpore diversam esse, utrumque neque connaturale neque consubstantiale[5] esse proclamavi. Ubi autem dixi: « Una namque natura et constitutio hominis proclamatur[6] », hoc significavi, quod ex immutabi congregatione et naturali unione una natura hypostasisque absoluta sit. Aut non audisti me, cum ad Succensum scriberem atque dicerem: [CYRILLUS]: « Nam diversae secundum suam speciem sunt istae res, minimeque inter se consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit naturalis differentia eorum, quae ad unitatem adducta

[1] Locum Grammatici non repperi; quoad Cyrilli locum cfr *P. Gr.*, LXXVII, 21. — [2] Interpres legit in graeco: σύστασις. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 260. — [4] Locum non repperi. — [5] τὸ μὴ ὁμοφυὲς μηδὲ ὁμοούσιον ἑκατέρων. — [6] *P. Gr.*, LXXVII, 260.

sunt[1]. » Quod autem cum unam quoque naturam absolutam esse confitemur, concurrentibus anima et corpore in unionem naturalem ad unam animalis hypostasim, nullo modo substantiae aequalitatem[2] confusionemque dicamus, sed unam ex utroque simul[3] * hypostasim ea, quae ad Valerianum scripta sunt, * p. 31. ostendunt sic: CYRILLUS: « Una namque natura et constitutio hominis proclamatur, quamvis ex diversis et secundum suam speciem differentibus rebus concipiatur. Nam diversum secundum naturam corpus certissime est, *si* ad animam *conferatur;* attamen proprium ipsius est et una cum ipsa unius hominis hypostasim perficit[4]. »

Proinde cum audis unam naturam absolutam esse concurrentibus in unum per naturalem congregationem anima et corpore, recte intellige unam hypostasim *indicari*. Audi enim sapientem Doctorem, qui dixit proprium ipsius animae corpus esse et una cum ipsa perficere unam unius hominis hypostasim. Noli autem, quae recte se habent in perversum *intellectum* detorquendo, accusare quod una natura *quasi* una substantia dicta sit, perinde ac si istae res secundum suam speciem diversae minimeque inter se consubstantiales, ex quibus unio *facta sit,* in substantiae aequalitatem[5] confusae essent; neque impudenter increpes, audacter et inerudite orationem ad me convertendo atque dicendo: GRAMMATICUS: « Non erubescis nos quidem dicere carne indutos[6], animae autem et corporis eamdem ponere *esse* substantiam[7]? » Heus tu, ubinam absconderis, ab iis requisitus, qui recte iudicant, ut ipsis verbis demonstres tuam accusationem? Explica ubi in verbis meis posuerim eandem esse animae atque corporis substantiam. Ostende iudicibus consonare intellectum eorum, quae dixi, *intellectui* accusationis tuae, ut sententiam pro te dicant. At dicere non vales, nisi forte, ut soles, mentiaris; et iterum convinceris te mentiri.

[1] *Ibid.*, 241. — [2] ταὐτότης. — [3] ἐκ τοῦ συναμφοτέρου. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 260. — [5] ταὐτότης τῆς οὐσίας. — [6] σαρκοφόροι. — [7] Locum non repperi.

CAPUT SEPTIMUM

(* p. 32.) ***Quid machinatus a probatione accusationis statim ab initio declinavit, eamque postremo agglutinavit.**

Ideo enim cum inciperes, in hoc strenuo libello, vehementi cum superbia reprehendebas nos tanquam peccantes contra leges Gregorii thaumaturgi atque magni Athanasii, quia ille quidem dixit: [GREGORIUS]: « Si quis dixerit carnem Christi consubstantialem divinitati, anathema sit [1] », is autem rursus dixit: ATHANASIUS: « Quisnam infernus eructavit ut diceretur consubstantiale divinitati Verbi corpus ex Maria natum, aut Verbum in carnem et ossa et capillos et in totum corpus mutatum esse [2]? » Quia vero non poteras ostendere me unquam dixisse consubstantiale Deo Verbo *esse* corpus ex Maria Dei genitrice assumptum, aut Deum Verbum in carnem conversum esse, puppim, ut dicitur, fixisti et de accusatione destitisti, dicendo: GRAMMATICUS: « Sed arguendi impias doctrinas eorum non est nunc tempus [3]. » Veritus es reipsa calumniam adiungere eamque cum verbis sanctorum Patrum componere, ne simul considerata magnum tibi pudorem incuterent. Nam si illi quidem haec reiecerunt, *scilicet* quod impie dicatur consubstantiale Deo Verbo esse corpus ex sancta Virgine *assumptum* itemque Deum Verbum mutationem in carnem pertulisse; accusatio vero nihil huiusmodi ostendit nos usquam dixisse: quid aliud nisi magnos risus de te facturus es, cum paternae leges * inanem esse tuam calumniam ostenderint, nec quidquam ei inesse eorum, quae abominantur? (* p. 33.)

Quam *calumniam,* quamvis eam astute distuleris, ego subnexui *Patrum* legibus, ut comminus eam redarguerent et propositae dicerent: « Ostende eum, qui reprehenditur, ea locutum esse quae abominatae sumus; ostende eum dixisse corpus Deo Verbo consubstantiale esse; convince eum usquam scripsisse Deum Verbum translatum atque mutatum esse, naturamque incorpoream in corpus conversam esse. Quod si ostendere non valeas, tu potius in nos peccas, minime vero is, qui immerito accusatur. Forsitan autem stulte putasti nos adfuturas

1 *P. Gr.*, X, 1128. — 2 *P. Gr.*, XXVI, 1052. — 3 Locum non repperi.

esse *tanquam* mendacii testes et fautrices, immemoresque divinorum, quorum interpretes sumus, verborum dicentium: « Testis falsus non erit impunitus; qui vero inflammat malitiam, ab illa peribit [1]. »

Et ministri quidem sancti Spiritus, Gregorius et Athanasius atque leges ipsorum propter calumniam tuam adversus caput tuum exsurgunt, et haec tota die clamant atque toto tempore in posterum clamabunt.

CAPUT OCTAVUM

Confutatio manifesta accusationis in fine adiunctae, ostendens falsationem audacemque calumniam, quam frustra adversus multas genuinasque voces stulte fingit.

Tu vero non desistis « inflammare malitiam [2] » adversus divina verba, vanaque vanis superponis, ut divus Hiob quodam loco dixit [3], et inepte in iisdem mendaciis volveris. Rursus enim de me dicis haec: GRAMMATICUS: « Sed attende etiam interpretem [4] impietatis. Non enim frustra talia * cum superbia cavillatus est; sed quemadmodum unam animae et corporis substantiam *esse* dicit, ita Dominum cum propria carne unum quid factum, evidenter unum secundum substantiam, minimeque secundum personam *esse* asserit, sicut loco ex ipso apposito manifestum est [5]. » (* p. 34.)

Opportunissime dicet quis ad egregium istum, qui haec scripsit, id quod ab uno ex prophetis appositum est: « O civitas sanguinis, tota mendax et impietatis plena [6] ». Quemadmodum enim manifesto ostendimus eum id quod dixi, *scilicet* unam esse animae et corporis substantiam, — et haec quidem cum nusquam in verbis meis posita ostendere potuerit, sed *tantum ibi habeatur* hominis ex anima et corpore *constantis* unam *esse* naturam et hypostasim, — calumniose mutare in « unum idemque *esse* secundum substantiam », *ita* nunc etiam dicit a me, ad exemplum huius confusionis, additum esse eodem modo et ipsum Dominum unum quid cum propria carne factum esse, postquam *voces:* « sine mutatione » de medio sustulit,

1 *Prov.*, XIX, 6. — 2 Cfr *Prov.*, XIX, 6. — 3 HIOB, XXVII, 12. — 4 Vel: « exitum ». — 5 Locum non repperi. — 6 NAHUM, III, 1.

rursusque *voces*: « evidenter anima rationabili animata » resecuit; postque impudens furtum et abscissionem, hariolatus circa me dicit auditoribus: « evidenter unum secundum substantiam, minimeque secundum personam *Dominum factum esse* dicit ». 5

Optimum, ut videtur, mentis meae sortitus sum interpretem, qui resecando et tollendo voces mutandoque significationes et sensus verborum explicationes texit! Quae autem a me scripta sunt, sic se habent; ea enim iterum integre apponam ad lucem iis, qui occurrerint, *porrigendam* et ad confutationem detractionis et furti adversarii, licet supra [1] posita sint: « Ecce quomodo tum de homine nostri simili, tum de Domino, posuit *Athanasius verba* σάρκα φορεῖν. Quemadmodum enim nos, qui σάρκα φοροῦντες dicimur, unum quid sumus, unaque natura τὸ συναμφότερον anima * et corpus, minime vero alius ὁ φορῶν et alius ὁ φορούμενος: eodem modo et ipse Dominus unum quid factus est sine mutatione cum propria carne, evidenter anima rationabili animata [2]. » 10 15 * p. 35.

Quae cum reprehenderet iste mirificus, *verba*: « sine mutatione » subripuit et *verba*: « evidenter anima rationabili animata » resecuit, et hariolatur circa me, ut antea dixi, fitque interpres mentis meae et asserit unum a me dictum esse factum Dominum, non secundum personam et hypostasim, sed per confusionem et mutationem secundum substantiam. Qua igitur condemnatione non feriretur bonus ille vir, si etiam in iudicio de quodam negotio disceptans, subripuisset aut resecuisset verbum ex scriptis et examini subiectis? Nonne utraque manus ipsaque lingua eius amputarentur? Quia vero de divinis doctrinis agitur, et circa fidem, qua nihil superius est pro fidelibus scientibusque veritatem, id ipsum ausus est facere, non ab hominibus in eum pronuntianda est condemnationis sententia, sed illam committimus ei, qui dixit: « Mea est vindicta et ego retribuam [3]. » 20 25 30

Miratione autem dignum est quomodo, ut sapiens Paulus dixit [4], tenebris obscurati sunt intellectus infidelium. Qui enim 35

1 Cfr supra, p. 22. — 2 Locum non repperi. — 3 *Hebr.*, x, 30. — 4 Cfr *Ephes.*, II, 12. —

usque eo hac in re insanivit, ut etiam verba subriperet et falsariorum facinus committeret, hoc tantum inter verba se labefactatum forsitan ratus, illo, quo se redargui putavit, excerpto et surrepto atque abscisso, adulterare omisit ea, quae in hac ipsa oratione ad Nephalium a me scripta habentur fuseque calumniam ipsius repellunt. Apposui enim locum epistulae sancti Cyrilli ad monachos, — ut ex multis pauca recolam, dum* id quod perfectum est persequor, *scilicet* ostensionem veritatis simul atque brevitatem, — in quo haec habentur: Cyrillus: « Genitum est enim, ut dixi, ex substantia Dei et Patris Verbum eius unigenitum. Quia vero carnem assumpsit suamque effecit et vocatum est Filius hominis et factum est nostri simile, absurdum nullo modo esse, imo necessario confitendum esse puto eum secundum carnem per mulierem esse genitum, quemadmodum ipsa quoque hominis anima una cum proprio corpore generatur et velut unum quidpiam cum ipso censetur, licet natura sua ab ipso diversa intelligatur et sit secundum propriam rationem. Et si quispiam matrem alicuius dicere voluerit esse carniparam, non autem simul et animiparam, prorsus inanes voces fundit. Genuit enim, ut dixi, ens vivum concinne compositum ex dissimilibus, et ex duobus quidem *constantem* verum unum hominem, cum utrumque remaneat id, quod est, concurrerint autem *illa duo* in naturalem unitatem et quasi inter se miscuerint id, quod unumquodque quasi proprium habebat [1]. » Ad haec, postquam illa apposueram, sic addidi: «Vides eum tradidisse ex duobus illum unum intelligendum esse, cum contulerit inhumanationem Salvatoris nostri constitutioni omnis hominis, neque permiserit sectionem in duo, sed unionem sine confusione servaverit dicendo: « cum utrumque remanserit id, quod est, concurrerint autem *illa duo* in naturalem unitatem [2]. » 5 * p. 36. 10 15 20 25 30

Cum igitur haec sapientis Cyrilli verba, — quae si quis trutinam dogmatum vocaverit, non peccabit, — apposita sint in oratione ad Nephalium, sicque a me recte intellecta sint, sicut ostendunt ea, quae exscripta sunt et modo etiam audistis, oculis clausis, * id est, mente gravi petra haeretici stuporis ob- 35 * p. 37.

1 *P. Gr.*, LXXVII, 21. — 2 Locum Severi non repperi.

turata, iste sapiens et prudens, his dimissis, eadem mihi tanquam ignaro producit, dicens: GRAMMATICUS: «Quis ex Ecclesiae doctoribus haec te docuit, o homo? Cyrillus? Atqui talia docet, scribendo presbyteris et diaconis patribusque monachorum: *scilicet* Dei genitricem esse virginem Mariam, « quemadmodum et hominis anima cum proprio corpore generatur et velut unum quidpiam cum ipso censetur, licet natura ab illo diversa intelligatur et sit secundum propriam rationem ». Quomodo igitur postquam neglexeris talia aemulari, ad aliam, *scilicet* perditionis, viam nos transfers, patribus simul et communibus notionibus ignotam, minimeque erubescis nos quidem carnem gestantes dicere, animae vero atque corporis eandem substantiam *esse* ponere [1]? »

Ad te rursus et ad vanitatem insanae simul et superfluae accusationis tuae necesse est haec Hiobi *verba* dicam: « Non est sapor in verbis vanis, quia neque panis insulsus comedetur; etenim, mens quidem verba probat, guttur autem cibum gustat [2]. » [Non] solum vero mens tua, o bone, nunquam rationabiliter sapuit aut probavit, sed maxima cum amentia vi agis ad comedendum panem insulsum. Quae enim sancti Cyrilli *verba* adducimus, ea ipsa, et quidem ea non intelligendo, inerudite nobis adducis tanquam opposita. Postquam igitur institutionum et doctrinarum huius sapientis doctoris rectum sensum ostenderam, haec dixi: « Vides eum tradidisse ex duobus illum unum intelligendum esse, cum contulerit inhumanationem * Salvatoris nostri constitutioni omnis hominis, neque permiserit sectionem in duo, sed unionem sine confusione servaverit dicendo: « cum unumquodque eorum remanserit id, quod est, concurrerint autem illa duo in naturalem unitatem [3]». Et cum audacia atque ineruditione vituperans, dicis adversus me: GRAMMATICUS: « Non erubescis nos quidem carnem gestantes dicere, animae vero atque corporis eandem substantiam *esse* ponere, nullamque inter illa differentiam esse? [4] »

* p. 38.

Vah! non putas indicari differentiam simulque removeri eam, quae a te proclamatur, separationem his *verbis*: « remanet quidem unumquodque eorum id, quod est; concurrerunt autem in naturalem unitatem »? Considera igitur cuinam verendum sit et erubescendum: utrum tibi, qui circa tam evidentia mentiris et argumentis scriptis et increpatoriis oppugnaris, an nobis, qui multis *argumentis* apparuimus liberi ab accusatione tua? At, quia faciem habes meretricis, ut dixit Ieremias, et impudenter egisti ad omnia [1], et in iisdem permanes, dicisque de me: GRAMMATICUS: « Iste unam substantiam non dimittit, sed omnia perturbat et confundit, et totus caro est, et rationabilem animam perdidit », rursusque: « Dicemus ad eum, a voce prophetica *verba* mutuantes: « Iste vir stultus est, minimeque prudens [2] »; — ad probrum quidem *tibi inferendum* sententia et verbis apostolicis utentes haec dicimus: nos stulti propter Christum, tu vero non prudens in Christo [3], qui non audis eum dicentem: « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur [4] ». Quomodo enim tibi proprium non sit id, quod in verbis meis prorsus non habetur, sicut iam * ostensum est? Sapientes autem, iuxta Paroimiasten, non declinant ab ore Domini [5]; sed os Domini quid aliud suspicabimur *esse* nisi veritatem, in qua olim multifariam multisque modis locutus est in prophetis, novissimis autem diebus locutus est [6] in veritate et per *veritatem*, non vero in alio sicut in priori typo? Quapropter etiam dicebat: « Ipse qui loquor, adsum [7] », et: « Ego sum veritas [8] ». Ad audaciam autem, quae eadem multoties volvit et abicit disciplinam, neque erubescit, neque animadvertit in quamnam viam verba haec ipsam deducant et ad quemnam exitum ipsam convertant, — nam, ut scriptum est, « vir impius procaci vultu stat; qui autem rectus est, intelligit vias suas » [9], — iterum tibi alia dicta apponemus et infundemus [10], quae calumniam tuam adversus nos valide cohibent, quamvis ea neglexeris et merito spreveris, quia nolebas veritatem apparere.

* p. 39.

Etenim, in oratione ad Nephalium, praeter id, ex quo tuam accusationem et falsam scriptionem compingere studuisti, ipsis

1 Locum non repperi. Cfr supra, p. 24, n. 1. — 2 HIOB, VI, 6; XII, 11. — 3 Locum Severi non repperi. — 4 Locum non repperi.

1 IER., III, 3. — 2 Cfr *ibid.*, IV, 22. — 3 I *Cor.*, IV, 10. — 4 IOH., VIII, 8. — 5 *Prov.*, XXIV, 7. — 6 Cfr *Hebr.*, I, 1-2. — 7 ISAI., LII, 6. — 8 IOH., XIV, 6. — 9 *Prov.*, XXI, 29. — 10 Tanquam aquam per caput.

verbis sic habetur: « Doctrinis autem deiferorum Patrum sine adulteratione adhaerentes, Dei gratia sumus in bona sententia et super petram stamus, confitentes Deum Verbum incarnatum esse ex sancta Dei genitrice semperque virgine Maria et de Spiritu sancto, carne nobis consubstantiali animata anima rationabili et intelligente: nam consubstantialis nobis est Virgo, ex qua Spiritus sanctus hoc sanctum corpus plasmavit; non enim ex humano semine erat, absit. Itaque eundem confitemur consubstantialem Patri secundum divinitatem, eundemque consubstantialem nobis secundum inhumanationem: eundem dicimus, * non autem alium atque alium; aliud enim et aliud sunt ea, ex quibus Salvator noster, non autem alius et alius. Nam ex duabus naturis credimus illum esse unum, id est, ex perfecta divinitate et ex perfecta, absque peccato, humanitate, sine mutatione, sine confusione, nulla facta confusione aut mixtione, ut supra diximus [1] ». RURSUSQUE POST PAUCA: « Si quis e caelo dixerit carnem Domini descendisse, vel per Virginem quasi per canalem transisse, non autem dixerit eam ex illa secundum legem conceptus, licet absque viro, plasmatam esse, anathema sit. Neque enim conceptus, neque nativitas ex Maria, neque conversatio cum hominibus, neque crux, neque sepultura, neque resurrectio ex mortuis, neque ascensio in caelum secundum phantasiam evenerunt, sed omnia secundum veritatem: vera enim sanatione indigebamus nos, qui vere peccavimus. Itaque etiam secundum veritatem venturum Christum exspectamus, in hoc ipso corpore in quo salutarem crucis passionem tulit; sic enim videbitur ab iis, qui eum transfixerunt [2]. Nam neque sic dictum theopaschismum mente tenemus, absit; sed dicimus, sicut scriptum est, carne passum Dominum gloriae [3]. Quamvis enim proprium corporis sit quod patiatur, tamen impassibile Verbum corpori passionis capaci uniebatur; et quia corpus proprium Eius est, Eius etiam dicitur passio. At neque sine anima, neque sine mente, sed animatam et mente et intellectu dotatam credimus inhumanationem Domini. Anathematizamus enim

* p. 40.

1 Locum non repperi. — 2 Cfr IOH., XIX, 37. — 3 Cfr. I PETR., IV, 1; I *Cor.*, II, 8.

phantasiam Eutychetis et Valentini et impietatem * Manichaeorum et dementiam Apollinarii et malam oeconomiae divisionem Nestorii [1] ».

Haec in oratione ad Nephalium scripta sunt; adversus illa accusationem suscitasti; illis autem tuam ineruditam non aperuisti; cum, qui tam fuse et tantis *verbis* haec dixit, docere praesumis non esse consubstantiale Deo Verbo corpus ex Virgine *assumptum*. Neque percipis tu, Grammatice, quod illuminas Minervam [2] vel eos, qui canunt, explicantes tomos Homeri: « Ego aliquid novum trado », Phaidimum vel Hippodemum vel Polymetem; imo, ut aliquid de meo dicam, contemnendo mythologica tua: Israelitas doces, cum tu alienigena sis, dicere in oratione: « Adonai Domine, Elohim Sabaoth », aut apostolos in nomine Iesu Christi nazareni signa et virtutes *doces* operari.

Attamen, quia et epistulam a me ad Maronem scriptam legisse videris, — nam id significasti in immundo libello *tuo*, in quo recoluisti locum in illa repositum, quem procedens oratio suo tempore considerabit, — pauca verba ex illa *desumpta* apponam, manifestoque auditoribus ostendam te, multis calumniam tuam confutantibus, despexisse sapientiam [3] et id dixisse in mente tua, quod verbum propheticum de iis, qui cum audaci impietate agunt, dicit: « Dereliquit Dominus, non inspicit terram [4] ». Sed ad haec sapiens quidam suadet, dicens sic: « Ne dicas: a Domino abscondar, et ex excelsis quis mei memorabitur? [5] » « Qui minoratur corde haec cogitat * et vir imprudens et errans excogitat causam [6] ». Ideo ergo audi hoc et intellige ea quae, cum intelligere nolueris, sic te totum tradidisti ut irrueres in calumniam et, ut Ieremias propheta dicit, apprehensus es in voluntate tua [7].

Scripsi ergo ad Maronem, de [constitutione] omnis hominis haec: « [Sicut] anima hominis perfecte se habet secundum rationem suam, — non enim ad complementum τοῦ esse anima assumpsit corpus; — ita etiam post separationem suam a

* p. 41.
* p. 42.

1 Locum graece non repperi. — 2 Conicio interpretem in graeco legisse: ἀστράπτεις, et intellexisse: ἀστέρα ἅπτεις. — 3 Cfr *Prov.*, I, 7. — 4 EZECH., IX, 9. — 5 *Eccli.*, XVI, 17. — 6 *Ibid.*, XVI, 23. — 7 IEREM., VIII, 5.

corpore, in propria hypostasi apparet. Nam credere debemus Paulo quidem de animabus iustorum dicenti: « Spiritus iustorum perfectorum » et « Ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in caelis[1] », Petro autem, qui scripsit de iis, qui vixerunt in peccatis: « In quo et his, qui in carcere erant, animabus veniens praedicavit: quae incredulae fuerant olim cum exspectaret Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca[2] ». Si ergo anima, cui incorporalis natura obtigit, corpori secundum naturam unita, credatur partem esse constitutionis hominis, et quidem cum perfecte se habeat qua anima est minimeque eam, quae ex mixtione *oritur*, confusionem patiatur: quomodo, ubi audimus Deum Verbum hypostatice carni unitum esse, gravabimur idque rem impossibilem vocabimus, huiusmodi causas praetexentes? Nam homo quoque, *hominem* dico ex anima et corpore *constantem*, perfectus quidem qua homo est, pars autem totius creaturae *est*, nihilque perfectionem naturaliter habet, nisi solus Deus[3]. * At perfectus in omnibus dignatus est absque mutatione pars creaturae fieri, quin quidquam dimitteret aut perfectionem suam minueret, sed habet in se integritatem et manet supra creaturam. Idque rursus manifesto docet sanctus Cyrillus in epistula ad monachos, cuius initium est: « Studium ac diligentiam[4] »; scripsit enim sic: Cyrillus: « Nam si Deus exsistens factus est homo, minime vero destitit esse Deus; si pars creaturae factus est, et mansit supra creaturam; si legislator exsistens ut Deus, sub lege factus est, et adhuc legislator est; et *si* Dominus exsistens secundum divinitatem, formam servi accepit, et dignitatem qua Dominus est non dimisit; si Unigenitus exsistens, factus est primogenitus in multis fratribus et est Unigenitus: quid mirum, si carne passus humanitus, impassibilis etiam sic intelligitur divinitus?[5] » Si vero contumeliam dicas esse id, quod perfectus pars creaturae fiat, tibi opportunitas temporis est contemnendi totam sollertiam oeconomiae, qua omnia mea sibi propria fecit et dedit mihi de splendore suo ipsisque rebus

* p. 43.

1 *Hebr.*, XII, 23. — 2 I Petr., III, 19-20. — 3 Haec verba: « Nihilque... Deus » syriace item invenies in *Patrol. Orient.*, t. XII, p. 200. — 4 *P. Gr.*, LXXVII, 292. — 5 *Ibid.*, 312.

innotuit in exinanitione perfectionem habens et in humilitione celsitudinem[1]. »

Quae cum ita legeres, si intellexisses, minimeque per malitiam aut ineruditionem neglexisses, in mirabili libello tuo frustra cum umbra non decertares neque, insanientium instar, dum petras pugnis percutias, putares vapulantes *homines* a te percuti, neque syllogimos ridicule componeres de iis, quae certa sunt omnibus sapientibus, neque diceres:

CAPUT NONUM

*Demonstratur unam naturam dici, non solummodo substantiam, quae in generica significatione multas hypostases comprehendit, sed etiam unam personam unamque hypostasim vel ex specie diversis[2] minimeque consubstantialibus quibusdam *rebus* sine confusione in unum compositas.

* p. 44.

Grammaticus: « Non enim quia unus est homo interior et exterior, ideo ex eadem substantia anima et corpus; sed personae quidem singularitatem, etiam te invito, novimus, animam autem eandem ac corpus esse substantiam dicere non audemus. » Rursusque: « Si enim ex eadem substantia corpus et anima, consubstantialium autem eadem est ratio, *et* corpus corruptibile est: ergo ipsa quoque anima corruptibilis, et dicere immortalem ipsam animam falsum apparet[3]. »

O subtiles theoriae! O sapientissimae mentis inventiones! O animam eruditam, iuxta Paroimiasten[4], versutiis sermonum, e quibus effugere non est! Libenter rogarem sapientiam tuam utrum postquam diu vigilavisses haec mihi pepereris, an temporis momento tam acuta [......] emiseris? Etenim toti mundo periculum esset ne erraret, nisi tu scivisses corpus quidem humanum esse corruptibile, animam autem immortalem. At, quia hoc per te novimus, sine te quoque scire concursu et unione animae et corporis unam naturam atque hypostasim absolvi, non autem aequalitatem substantiae[5], quae deletrix

1 Locum epistulae Severi non repperi. — 2 ἑτεροειδής. — 3 Neutrum locum repperi. — 4 *Prov.*, I, 3. — 5 ταὐτότης τῆς οὐσίας.

est, sicut existimasti, differentiae eorum, quae in unum congregata sunt.

* p. 45. Et cum idoneis testimoniis supra appositis * rursus in medium procedat sanctus Cyrillus simulque doceat id, quod ex inconfusa compositione in singularitate est, et unam personam et unam hypostasim et unam naturam pariter esse atque dici. Cum enim ipse dixisset, in octavo capitulo seu anathematismo, non esse dicendum hominem, qui assumptus est, coadorari et conglorificari cum Deo Verbo, sed potius una adoratione honorandum esse Emmanuelem[1], tanquam unum Dominum et Deum et Filium et Christum, reprehendit illum impius Andreas et dixit: « Ecce tu scripsisti sedere Filium apud[2] Patrem suum cum carne sua: nihil autem differt praepositio σύν a praepositione μετά[3]. » Sed semetipsum adversus hoc defendit, dicens: Cyrillus: « Proinde redarguamus eos quod ignoraverint vim dictorum, neque[4] inspexerint naturam rerum. Etenim cum de una persona et natura hypostasique una sermo, considerans ea ex quibus est seu constituitur naturaliter, subiungit *praepositionem* σύν vel μετά, servat etiam sic rei significatae quod unum sit secundum compositionem minimeque in duo separatim *eam* definit[5]. Cum autem hypostases ante dividuntur in duas et ad hoc, ut unaquaeque singulariter et seorsum concipi debeat, *praepositio* σύν vel μετά dicitur, tunc duorum vel multorum, minime vero unius secundum compositionem dicimus significationem *eo dicendi modo* fieri. Exempli gratia, si forte dicam cohonorari animam cum proprio corpore si quis fiat honor a quopiam erga unum hominem, qui ex utrisque est; aut si quis dicat animam unum esse hominem cum proprio * p. 46. corpore, nullo modo in duos * homines *hunc* unum *hominem* definit; videtur autem potius non ignorare ea, ex quibus *homo* est vel componitur naturaliter. Quando vero dico: Petrus et Iohannes coappellantur homines, vel: Cum Petro etiam Iohannes ascendebat in templum, non iam *praepositio* σύν vel μετά unius cuiusdam significationem facit. Non enim com-

1 Cfr *P. Gr.*, LXXVII, 121. — 2 Rectius: « considere ». — 3 Cfr *P. Gr.*, LXXVI, 348. — 4 In textu legitur: « quamvis »; interpres videtur in graeco legisse καίτοι pro καὶ τῇ. — 5 διορίζει.

ponitur Petrus cum Iohanne, sed neque ambo in unius hominis constitutionem conveniunt. Cur ergo machinantur adversus veritatem et unum in duos Christos indocte dividunt?[1] »

Haec manifesto significant Emmanuelem, cum ineffabiliter et inconfuse ex divinitate et humanitate, quae perfecte se habent, in unum compactus sit, unam hypostasim, unam naturam unamque personam concipi atque dici; quemadmodum etiam omnis homo, Petrus vel Iohannes, ex anima et corpore compositus, una persona est unaque natura et una hypostasis; et is, qui hoc non confitetur, iuxta verbum theophori doctoris, quod modo audivimus, machinatur adversus veritatem et unum in duos Christos indocte dividit. Quomodo ergo non erubescis, qui trita et ab omnibus proclamata ad veritatis distortionem affers? Et forsitan putas te ad iuvenculos, qui apud te instituuntur, loqui, et in teipsum convertis instantias iuvenculorum solvisque ea, quae non ligantur sed a te apponuntur quasi per fictionem implicationis et illigationis. Quid enim inducis adversarium respondentem et a te quaerentem: « Quomodo unam naturam dicis ipsam humanitatem? »; tu vero respondes ad illum quasi ex absconsione depromens arcanum quoddam et ineffabile verbum * iisque, qui super terram * p. 47. gradiuntur, ignotum, te cum secundum communem cuiuslibet substantiae notionem unam naturam vocas humanitatem, universum genus humanum[2] indicare.

Scito autem, o sapientissime et sagacissime grammaticorum, unam quoque naturam vocari hypostasim unius cuiusdam, quemadmodum in sententiis modo appositis id declaravit sanctus Cyrillus, qui magis quam tu minimeque sicut tu naturae significationem cognoscebat: modo enim genus, tum autem speciem indicat, sicut ipsum quoque humanitatis nomen ostendit. Etenim, cum librum Psalmorum audimus dicentem: « Homo, sicut foenum dies eius[3] », totum genus hominum intelligimus hoc nomine significari: nam sermo extenditur super omnem naturam, quae foeni instar virescit statimque arescit. In alio autem psalmo cum *psalmista* dicit: « Ecce

1 *P. Gr*, LXXVI, 352. — 2 τὸ πᾶν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους. — 3 *Psalm.* CII, 15.

homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum [1] », ad unam hypostasim unius cuiusdam respicimus: unius enim personae indicativum fit nunc nomen « homo », nam ad virum malum et impium, *scilicet* ad Doeg idumaeum seu syrum, ad quem etiam titulus psalmi habetur, vocem extendit. Ipsius autem significationis particularis, non autem genericae, indicativum est id quoque, quod de eo cuius manus erat arida scriptum est a Luca sic: « Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam [2] ». In Actibus autem Agrippa de Paulo dicit: « Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Caesarem [3] ». Longum est et prorsus indecens multa tam manifesta ex divina Scriptura colligere. Sic ergo ipsum quoque naturae nomen, modo quidem generis, modo autem speciei est significativum.

CAPUT DECIMUM

* p. 48. ***Quod, cum de una natura seu hypostasi composita τὸ συναμφότερον dicitur, ea ex quibus illa una *natura* sine mutatione constituta est, indicat.**

Et hac quidem de re, haec omnia dicta sunt: non enim pluribus opus est, ad prudentes [4] *dicendo*. Quod autem etiam συναμφότερον dici soleat de composito in unum quid, quod ἐκ συναμφοτέρου sine confusione et sine divisione *effectum est*, congregato, testatur rursus Cyrillus, qui ad omnia perfectus et sapiens doctor est. Scripsit enim in Scholiis sic: CYRILLUS: « In Canticis Canticorum ipse Dominus noster Iesus Christus introducitur nobis, dicens: « Ego flos campi et lilium convallium [5] ». Quemadmodum ergo odor res quidem incorporea est, utitur autem, quasi proprio corpore, eo in quo est; tamen unum ex utroque intelligitur lilium: corrumpit autem omnino rationem eius discessus unius, — nam in subiecto est odor et subiectum est corpus, — ita et de Christo intelligere debemus: odor quoque divinitatis eius et mundo excelsior suaviter redolet mundo in humanitate eius, tanquam in subiecto; et

[1] *Psalm.* LI, 9. — [2] Luc., VI, 10. — [3] *Act.*, XXVI, 32. — [4] πρὸς εὐγνώμονας. — [5] *Cant.*, II, 1.

quod incorporeum est secundum naturam, secundum oeconomicam unionem factum est, ut ita dicam, corporeum, propterea quod voluit se cognosci per corpus: in eo enim operatus est ea, quae Deum decent Igitur recte intelligitur id, quod incorporeum est, in proprio corpore, quemadmodum etiam in flore *intelligitur tanquam in* subiecto ipsa veritas [1] odoris: lilium autem iam τὸ συναμφότερον dicitur [2]. »

* p. 49. * Desiste ergo a tam vana et insipienti loquacitate, sciens ita a nobis proclamari unam naturam Dei Verbi incarnatam et unam personam atque unam hypostasim, sicut *proclamatur* omnis homo Petrus vel Iohannes. Recolam enim verba sancti Cyrilli: ex anima rationabili et corpore esse compositam unam personam unamque hypostasim et naturam. Neque secundum genericam significationem intelligas unam naturam in subiecta *formula:* unam enim hypostasim audis personamque unam. Neque rursus stulte putes unam naturam et hypostasim idem esse ac *unam* substantiam, cum scias absque mutatione per naturalem animae et corporis congregationem unum hominem τὸ συναμφότερον computatum esse.

CAPUT UNDECIMUM

Quod priorum haereticorum instar, qui unum Christum iudaico more dividebant, iste quoque mutationis et confusionis crimen calumniose *nobis* infert.

Si vero, etiam postquam illa didiceris, mixtionis crimen adhuc nobis inferas propter naturas e quibus unus Christus *est*, affinitatem et audaciam accusationis indicabo. Sic etiam Theodoretus pater vester et dux [3] synodi chalcedonensis, quia in iisdem vanis accusationibus persistebat et sursum deorsum mixtionem reprehendebat ut separationem introduceret, a sapiente Cyrillo in defensione quarti anathematismi audiebat ea, quae a me quoque ad te, haudque intempestive, dicentur; quae sic se habent: CYRILLUS: « Ego autem tantum abest ut dicam contemperatas esse inter se naturas et mixtionem et confusionem atque conversionem passas esse, quantum ut tu

[1] τὸ χρῆμα. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1380. — [3] ταγματάρχης.

* p. 50. *recte sentias [1]. » RURSUSQUE, IN DEFENSIONE QUINTI *anathematismi:* « Quod autem saepissime dixi, hoc nunc quoque necessario dicam. Nullo dicente in carnem, quae ex terra *est*, mutatam esse naturam divinam atque immortalem Verbi, sed omnibus eam inconvertibilem confitentibus, desinite supervacaneos impendere labores in id, quod oporteat persuadeatis iis, qui minime decepti sunt, immutabile et inconvertibile secundum naturam esse Verbum, quod ex Deo *est*. Quis enim ita stupidus et insanus est ut tam turpia et ab ipsis forsan insipientibus respuenda, sentire vel dicere velit? [2] »

Igitur ignotum non est iis, qui fide prudenti inspirata verba Scripturae atque doctorum Ecclesiae legunt, ex qua mente fingatis accusationes, quae non consistunt et, ut ita dicam, per ea quae facitis, ad orthodoxos clametis: « Confitemini, o vos, mutationem, confusionem, corruptionem substantiarum [3], phantasiam in magno divinoque mysterio verae inhumanationis. Sentite praeter id quod sentiatis oportet; abite in reprobum sensum [4]; in id, quod errori nostro opponitur, transferimini. Date aciei occasionem; volumus enim et nos e regione [5] *vobis* obsistere: contra confusionem sectionem, contra conversionem dualitatem, contra phantasiam anthropolatriam *tuebimur*. Donate pugnam specie et causa convenienti. Nolite dicere Emmanuelem ex duabus naturis, ex divinitate et humanitate secundum propriam rationem perfecte se habentibus; *nolite dicere* eundem consubstantialem Patri secundum divinitatem

* p. 51. eundemque * consubstantialem nobis secundum humanitatem; *nolite dicere* [unam] naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam. « Alia [6] loquimini; agite, renuntiate nobis etiam alium errorem et reducite nos a via recta: auferte a nobis istam semitam et transferte a nobis verbum Israel [7] ». Sin autem hoc facere nolitis, numquid non inveniemus ipsi principium et causam ut hoc ipsum faciamus? Calumniabimur vos, ut qui consubstantiale Deo Verbo dicatis corpus ex Maria assumptum, aut istud aliud *crimen fingemus, scilicet* quod carnis

1 *P. Gr.*, LXXVI, 413. — 2 *Ibid.*, 420. — 3 συνουσίωσις. — 4 Cfr *Rom.*, I, 28. — 5 κατὰ διάμετρον. — 6 In textu graeco interpres legit ἄλλα pro ἀλλά. — 7 Cfr ISAI., XXX, 10-11.

conversioni et in divinatis naturam mutationi assentiamini: sicque in decora persona adversus vos pugnabimus, ut pro recta sententia vobis eligatis nostram definitionem, quam ex opposito errore vobis imponemus vi et, ut dicitur, omni et qualibet [.....] [1]. »

Nonne hoc *agendi* modo usus est Diodorus, Nestorii magister? Etenim adversus sectatores Apollinarii et adversus Polemonianos seu Synousiastas, sive specie sive revera, se quidem pugnare gloriabatur, iudaicis autem sententiis impugnabat veritatem et unum Christum in duos dividebat. At audiebat sapientem Cyrillum ad ipsum, quamvis mortuum, dicentem: CYRILLUS: « Adversus quamnam haeresim pugnas, qui haec dixisti, o Diodore? Adversus quosnam muros advehis machinas bellicas [2]? Adversus quasnam tandem urbes arcum intendis? Numquid adversus eos, qui volunt adhaerere placitis Apollinarii, consurgere festinas? Numquid adversus eos, qui Polemoniaci seu Synousiastae vocantur [3]? » RURSUSQUE, POST PAUCA: « Et religio quidem causa * est pugnae adversus istos * p. 52. [.....] [4]; praeterea vero audacter insequitur eos, apud quos reperitur fides recta et immaculata, quam in ea, quae *sibi* probata sunt, audet detrudere [5]. » Reprehendit autem et Theodorum, qui eundem praetextum finxerat: qui sentiebat impia placitisque Diodori cognata; et in iis, quae ad illum scripsit, dicit: [CYRILLUS]: « Scripsit enim librum adversus eos, qui Synousiastae vocantur; et quamvis oportuisset increparet ineruditionem eorum eosque insuper haud recta sentientes, qui censebant mutatam esse carnem in naturam Verbi vel mutatum esse Verbum in naturam carnis, id quidem, nescio cur, omisit iste sapiens, totum autem impetum suum ad calumnias adversus veritatem *struendas* applicuit, cum fidem et doctrinam rectam et sinceram sanctorum Patrum de Christo irridere ausus sit [6]. » Nestorium autem eandem excusationem in peccatis [7] saepe apprehendentem et exinde pugnam adversus

1 Sensus ultimarum vocum incertus manet, propter lacunam textus. — 2 τὰ πολιορκητικά. — 3 Locum non repperi. — 4 Forsitan legendum est: miseros. — 5 Locum non repperi. Sensus ultimae sententiae parum certus. — 6 Locum non repperi. — 7 *Psalm.* CXL, 4.

veritatem facientem, eodem modo Spiritu sapiens *Cyrillus* aggreditur, exspoliationes praetextus patefaciens, ubique quidem, sed etiam in tomo quinto eorum, quae adversus blasphemias huius miserabilis, sic: CYRILLUS: « Quodsi quisque ex iis, qui in sacris Scripturis educati sunt, abominandum ducit, etiamsi istud solummodo audiat, conversionem factam esse in Unigenito, cur tam turpia et uno omnium suffragio damnata ac prorsus reiecta tanquam vera ea, quae dicta sunt, accipit et illum indivisibilem dissecare conatur, idque post unionem [1]? »

CAPUT DUODECIMUM

* p. 53. * Quod ad idem haereticae fraudis [2] exemplar componitur impius Tomus Leonis, cum sub praetextu impiae [3] phantasiae Eutychetis pietatem impugnet.

Hos ad pugnam instructos [4] aemulatus impius etiam Leonis Tomus, — quem synodus chalcedonensis columnam orthodoxiae vocavit [5], — hosque primipilos [6] secutus, praetendendo causam *impugnandi* impium Eutychetem, non pietatis sed anthropolatriae arma contra adversarium movebat: et species quidem pugnae istum respiciebat, consilium autem pugnae erat adversus veritatem; et adversus istum quidem censebatur arcum intendere, occulte autem in orthodoxam fidem tela immittebat. Et hoc mirandum: adversus phantasiae doctrinam dimicare censetur, cum nihil aliud agat nisi ut impiam anthropolatriae doctrinam in sanctas ecclesias inducat, unumque et indivisibilem Christum dividat in duas naturas et in duas formas latenter personae duplicitatem operantes, loquentes, servantes sine defectu sibique sua propria separatim vindicantes, sicque indivisibilitatem divinae oeconomiae magis dissecantes quam ii, qui diviserunt vestimenta Dei et Salvatoris nostri crucifixi et non potuerunt dividere inconsutilem tunicam desuper contextam [7]: quae est typus corporis Ecclesiae, quod scindere non tremunt ii, quid id solummodo student ut suam sententiam et inventionem humanam corroborent, illam autem *doctrinam*,

1 *P. Gr.*, LXXVI, 229. — 2 κακοτεχνία. — 3 ἄθεος. — 4 παρατεταγμένοι. — 5 MANSI, *Concil.*, VII, 113. — 6 ταξίαρχος. — 7 Cfr IOH., XIX, 23.

super quam est fundamentum Ecclesiae, * quod divinum est atque firmum, quantum in ipsis est radicitus evellant. * p. 54.

Sed neque iste dolus abominandi strategematis [1] Tomi Leonis, qui *episcopos* in Chalcedone congregatos armavit, praetermissus est a vigilantissimo pastore Cyrillo, sed in antecessum patefactus est, Spiritu sancto mentem eius tanquam citharam pulsante. Scripsit enim in iis, quae adversus Diodorum composuit, sic: CYRILLUS: « Igitur Phantasiastarum haeresim vanam et frigidissimam esse et ego dico oportere ut ostendatur, non tamen talibus sententiis, quae totum pietatis mysterium ad nihilum redigunt et per quas cultus hominis insimulationes subeunt et detrimentum afferunt iis, qui ab errore polytheismi ad veram Dei notitiam vocati sunt per Iesum Christum, edocti vero per Unigenitum inhumanatum, qui solus est verus Dei et Patris Filius [2]. »

Cum hac Patrum via tu quoque incederes, Grammatice, et vestigia eorum persequereris, atque te advocatum fieri eorum, qui in Chalcedone congregati sunt, ut dixisti, studeres, dimisisti defensionem in initio libelli *tui*, et Synousiastarum crimen nobis intulisti, ita ut errori opposito suadenter contexeres eum, adversus quem certas, errorem; et quantum illi deprimuntur, tantum tu in rupem oppositam recessisti, ut pravitatem in oppositum inverteres et Emmanuelem sectione duarum naturarum divideres. EXPLICIT ORATIO PRIMA. * * p. 55.

ORATIO SECUNDA

CAPUT PRIMUM

De substantia et hypostasi; et quomodo doctores Ecclesiae illas *voces* e divina Scriptura sumpserunt; et quod substantia quidem multarum personarum est comprehensiva, hypostasis autem unius personae indicativa [3].

Quia ergo accusationis apparatus [4] sic a te constitutus est et, ut vides, dissipatus est nullusque apparuit, desiste iam de

1 στρατηγία. — 2 Locum non repperi. — 3 In margine: « et quid est substantia et quid hypostasis et quid persona et quid natura et quid existentia ». — 4 τὰ τῆς κατηγορίας?

defensione cuius patronus fieri voluisti et strenue ostendas, si quid habere te putes, quod nemo impugnare possit. Numquid nunc quoque fugitivus rursus videberis pugnamque declinabis, sicut ii, qui cladis increpationem declinant? Audacem enim sectionem duplicitatis naturarum post inexplicabilem unionem artificiis tegere vis, cum revelationis blasphemiae *tuae* te pudeat. Quibus patentibus, manifesto vides te, iuxta propheticum verbum, in multitudine viarum tuarum laboravisse [1].

At, quia sermonem de substantia et hypostasi atque natura in initio defensionis tuae auditoribus proponendum esse censuisti, ego quoque censui necesse esse fuse et perfecte in medium proferrem dicta de istis a Scriptura inspirata perfectamque, ut possum, institutionem sanctorum Patrum, ut clare percipiant ii, qui *istis explicationibus* occurrent atque ii, qui mea tuaque verba scrutabuntur [2].*

* p. 56.

Itaque nomen « substantia [3] » significativum est alicuius, quod e s t; nos enim decet adductis sententiis verbisque divinae Scripturae definitas ipsorum verborum demonstrationes efficere. Hac de re igitur voce velut ex persona Dei et Patris ad Moysen veniente et dicente: « Ego sum qui s u m. Sic dices ad filios Israel: Qui e s t misit me ad vos [4] », et Iohanne theologo et evangelista de Filio et Verbo vivente et subsistente atque ex Patre ante saecula genito dicente, in evangelio quidem: « In principio e r a t Verbum [5]», in sua autem epistula: « Quod e r a t a principio [6] », in sua autem Apocalypsi: « Qui e s t et qui e r a t et qui venturus est [7] »; et Hiob philosopho de Spiritu sancto, qui ab aeterno ex Deo et Patre procedit atque in hypostasi est, dicente: « Spiritus autem divinus qui s u p e r e s t in naribus meis [8] », ac per hoc manifesto significante eum perpetuo esse et subsistere totiusque creaturae esse complexivum, nosque in eo vivere, moveri et esse: deiferi mystagogae Ecclesiae unius substantiae definierunt esse Trinitatem sanctam et omnibus excelsiorem. Si enim Pater e s t, et Filius e s t et Spiritus sanctus

1 ISAI., LVII, 10. — 2 Sedulo animadvertat lector hanc Severi dissertationem totam circa graecas voces versari, quae non semper latinis eiusdem etymologiae verbis in versione notari potuerunt. — 3 οὐσία. — 4 *Exod.*, III, 14. — 5 IOH., I, 1. — 6 I IOH., I, 1. — 7 *Apoc.*, I, 8. — 8 HIOB., XXVII, 3.

e s t: quorum idem est e s s e et aequalitas dignitatis atque aeternitatis, eorum certum est unam eandemque esse substantiam. Etenim manifestum est a *voce* ἐστί productum esse nomen οὐσία. Igitur non ἄγραφος est *haec* vox, quemadmodum frigidae et lamentabiles Arianorum oratiunculae latrant, sed nota est, et prorsus quidem *nota* divinis Scripturis.

« Hypostasis » autem, quod ad significationem existentiae [1] attinet, idem est ac substantia. Sicut enim substantia * ens [2], ita et hypostasis subsistens [3] indicat. Iamvero « ens » et « subsistens » nihil inter se distant. Sic Deus omnium inducitur dicens per Ieremiam prophetam: « Si stetissent in hypostasi mea [4] »; et qui dixit: « Ego sum qui s u m [5] », ipse etiam dixit: « Si stetissent in hypostasi mea [4] », et significat quod ens et subsistens perpetuo erat et nunquam aut non ens aut non subsistens is, qui totum istud, *scilicet* aeterno esse atque subsistere in se collegit.

* p. 57.

Idem, quod ad significationem τοῦ esse atque subsistere est etiam nomen « existentia [6] ». Etenim inter e n s et s u b s i s t e n s et e x s i s t e n s [7] nulla est differentia. Sic et propheta psallens dicit: « Exaudiet Deus et humiliabit eos e x s i s t e n s ante saecula [8] ». Igitur, quoad hoc quidem communio inter substantiam et hypostasim et existentiam habetur, quoad aliud autem magna est longinquitas et distantia atque differentia. Nam substantia quidem etiam significativa est generis et notionis comprehendentis multas species [9]; hypostasis autem limitatio quaedam est significativa unius formae, id est, personae, cum ad homogenea secundum proprietatem communionem non habet et distincto charactere subiectum [10] includit; existentiam autem modo quidem de genere communique notione, sicut substantiam, sumptam reperimus, modo autem de distincta definitaque unius cuiusdam notione, sicut hypostasim.

Oportet autem manifesta, ut potest, ostensione ante oculos ponamus id, quod dicitur, fiat autem ostensio, quae apta sit

1 ὕπαρξις. — 2 τὸ ὄν. — 3 τὸ ὑφεστός. — 4 IEREM., XXIII, 22. — 5 *Exod.*, III, 14. — 6 ὕπαρξις. — 7 ὤν et ὑφεστώς et ὑπάρχων. — 8 *Psalm*, LIV, 20. — 9 εἶδος. — 10 τὸ ὑποκείμενον.

minimeque, ut potest, procul decidat a praesenti nostra contemplatione. Nomen « homo » generis et τοῦ κοινοῦ totius humanae naturae est indicativum, quemadmodum quodam loco dixit Deus in libro Genesis ad Noe et ad filios eius: « Qui fundit sanguinem hominis, fundetur sanguis eius * pro eo, quia ad imaginem Dei feci hominem[1] ». Hic enim non unum hominem nominat, hunc vel illum, sed totum genus in hominis appellatione comprehendit; nam super totum genus legem constituit aequaliter cuiuslibet hominis necem vitantem, quia omnes nos aequaliter ad imaginem Dei facti sumus, quia creati sumus rationabiles, quatenus nobis solis ex omnibus animantibus super terram obtigit anima rationalis et libera et principalis[2], atque capax sapientiae et iustitiae et reliquae seriei excellentiarum, quibus possibile est imitari Deum. Nec quisquam dicere potest animam rationabilem et intelligentem huic quidem esse, illi autem non *esse;* etenim nos omnes aequaliter *facultate* intellectiva et principali animae ornamur, quatenus ad imaginem Dei facti dicimur: esse enim sine ratione et intellectu, solaque sensualitate duci pecuinae, non humanae animae proprium est.

* p. 58.

Similiter id quoque, quod Isaias propheta dixit: « Omnis caro foenum, et omnis gloria hominis tanquam flos foeni[3] » ipsam substantiam totumque genus hominum comprehendit: indicat enim originem carnis e terra, eamque corruptibilem esse et mortalem atque, sicut ea quae extra et circum ipsam sunt, ipso die produci statimque decidere; aequaliter transit in totam humanitatem, sicut et Hiob dicit: « Memento autem quod lutum plasmasti me, in terram autem rursus convertes me[4]. » Et iterum: « Homo enim de muliere natus atque brevis vitae est[5]. » Etenim quoad haec nemo a proximo suo quidquam differt; ideo ergo et Eliu ad Hiob dixit: « Ex luto effectus es tu sicut et ego; ex eodem effecti sumus[6]. » Huiusmodi est etiam id, quod Hiob rursus dixit: « Mors homini quies est[7] »: hominem * enim hic omnem hominem vocat, quia unicus finis similiter omnibus hominibus mors est.

* p. 59.

[1] *Gen.*, IX, 6. — [2] αὐτεξούσιος καὶ ἡγεμονική. — [3] ISAI., XL, 6. — [4] HIOB, X, 9. — [5] *Ibid.*, XIV, 1. — [6] *Ibid.*, XXXIII, 6. — [7] *Ibid.*, III, 23.

Ex his verbis et sententiis divinae Scripturae etiam definitio hominis colligitur: definitur enim esse animal rationale mortale intellectus atque cognitionis capax. Et hoc omnis homo est, nullusque ex hominibus extra hanc definitionem est. Nam quilibet, qui homo est, rationalis utique est; quilibet, qui homo est, mortalis utique est; quilibet, qui homo est, intellectus atque cognitionis utique capax est. Igitur, nomen « homo », ut antea diximus, substantiae est significativum, significans communitatem et coaequationem et identitatem atque connaturalitatem[1] totius generis.

Si quis autem forsitan nominet Hiob aut Helcanam, patrem Samuelis, proprietas appellationis, ut ita dicam, digito indicat unum hominem, hunc vel illum, unamque eius hypostasim. Etenim ut primum aliquis audivit « Hiob », hominem quidem intellexit, non autem omnem hominem, sed unum ex iis, qui sub substantia sunt atque sub communi genere humanitatis. Non enim mentem auditoris sinit propria appellatio « Hiob » ad amplitudinem substantiae diffundi atque omnes homines comprehendere, sed proprietate nominationis intellectum refrenat et limitat eumque dirigit ad unam huius unius hypostasim atque ea, quae hunc ipsum repraesentant, separate significat. Praebet enim intelligendum Hiob, regem et incolam regionis * 'Us, qui testimonium consecutus est a Deo in omni iustitia, qui traditus est daemoni malo et Satanae tanquam ad certamen, id est, ad omnes tentationes, ut daret probationem huius testimonii; *eum* qui pro ignorantiis cogitationum vel peccatis filiorum suorum quotidie preces et victimas Deo offerebat et iis ipsis simulque tota possessione sua spoliatus est, et in privatione filiorum atque paupertate post filiorum et divitiarum copiam hanc grati animi vocem, mirandam minimeque per tempus obscuratam, emisit: « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum[2] »; eum qui insuper ulcere percussus est super totum corpus suum et fortem se praebebat ad dolorem intolerabilem diuque exinde durantem atque ad

* p. 60.

[1] τὴν κοινωνίαν καὶ τὴν ἰσότητα καὶ τὴν ταὐτότητα καὶ τὴν ὁμοφυΐαν (τὸ ὁμοφυές). — [2] HIOB, I, 21.

probra amicorum, qui decipiebant illum per doloris inscitiam, quique iterum testimonium consecutus est a Deo et testimonii coronam et testimonii divinas laudes accepit.

Item, si quis « Helcanam » audiat, ex appellatione propria formas characteristicas unius hominis mente videt, neque multarum sed unius hypostasis. Etenim quasi cogitatione repingit eum, qui ex regione Ramatha *esse* noscitur; qui secundum legem vixit; qui cum victimis et oblationibus per Moysen praescriptis caetera quoque, recurrentibus statutis temporibus, sedulo adimplebat et ascendebat ad locum consuetum [1] tabernaculi; eum, qui habitabat cum Ḥanna uxore casta et Dei amantissima quaeque commercium coniugale propter procreationem filiorum amavit et faecunda quidem non erat, [sed] ad pariendum sua oratione suisque lacrimis defectum naturae vicit et prolem ex * petitione suscepit; *eum*, qui adduxit Samuelem, qui factus est famosus inter prophetas et magnus inter eos, qui invocant Dominum cuique concreditum est ungere reges Israel et qui inviolate [2] praevidebat id, quod venturum erat et prophetizabat id, quod futurum erat, ita ut ex omnibus verbis eius ne unum quidem caderet super terram, ut dixit divina Scriptura [3]: ideo et ὁ βλέπων et ὁ ὁρῶν vocabatur.

* p. 61.

Igitur Helcana, qui per ea quae dicta sunt a nobis cognoscitur, homo quidem est sicut Hiob, sed alius est ac iste et seorsum atque proprie subsistens. Hypostasis enim simul et existentiae identitatem ad homogeneum ponit, et distinctis atque inconfusis characteribus eum, qui indicatur, separat ab iis, qui genus et substantiam cum ipso participant. Nunquam enim Helcana putabitur *esse* Hiob quia ipse, sicut et ille, per existentiae formam homo est; neque rursus ipse Hiob unquam transibit in id, quod sit Helcana: firmiter enim manet unusquisque eorum in propria hypostasi, neque mixtus neque contemperatus cum altero, licet coniungatur *illi* per ipsam identitatem existentiae. Quapropter divina Scriptura, cum de unoquoque eorum, qui dicti sunt, — Hiob et Helcanam dico, — verbum factura esset, dissimiliter incoepit: « Homo quidam erat in regione 'Uṣ » et: « Homo quidam erat ex Ramatha »;

[1] νομιζόμενος. — [2] ἀπαραβάτως. — [3] I *Reg.*, III, 19.

et per hanc quidem *vocem* « homo » identitatem et communitatem existentiae uniuscuiusque ex illis posuit, dicendo autem « quidam » et « in regione 'Uṣ » et « ex Ramatha », inconfuse determinavit unamquamque ex hypostasibus. Attamen, si solummodo dixisset: « Homo erat », existentiae quidem indicativum esset nomen; sed cum abeat in indeterminationem, cuiuslibet hominis est significativum et substantiae indicativum, non huius vel illius *hominis*, ut * est illud: « Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis [1] »; eo autem quod praeter « homo » *Scriptura* posuerit « quidam » et « in regione 'Uṣ », ad significationem propriam determinavit existentiam.

* p. 62.

Itaque existentia, cum absque determinatione quidem dicitur, genericam indicationem efficit minimeque distinguitur a substantia; cum autem coniungitur distinctioni propriae, vim hypostasis obtinet. Et nomen « homo » cum indeterminate ponitur, potest quis illud vocare et substantiam et genericam existentiam; illud autem: « homo quidam erat in regione 'Uṣ » vocatur et hypostasis et propria existentia. Et iuxta hanc sententiam, « existentia » modo quidem pro substantia sumitur, ut antea dixi, modo autem pro hypostasi.

Sed iam transeamus ad sermonem de sancta Trinitate, subobscure directi ea demonstratione, quae antea apparuit. Nomen « Deus » commune est Patri et Filio et Spiritui Sancto. Etenim, sicut Deus est Pater, ita Deus est Filius, ita Deus est Spiritus sanctus; et quemadmodum sine tempore et aeterno Deus est Pater, ita sine tempore et aeterno Deus est Filius itemque Spiritus sanctus. Et sicut est Pater, quin unquam inceperit esse, — est enim semper, — ita et Filius est atque Spiritus sanctus, ut antea diximus. Igitur, si una est divinitas trium illorum et eadem et aequalis dignitatis atque nulla re diversa, una est substantia divinitatis trium illorum, cum evidens sit substantiam intelligi divinitatem quia communiter exsistit et apparet in illis tribus, in Patre et Filio et Spiritu sancto, nulla prorsus in quoquam differentia, sive superioritate sive inferioritate, exsistente. *Hypostasis autem alia quidem

* p. 63.

[1] *Psalm.* XLVIII, 13.

est Patris, alia autem Filii et alia Spiritus sancti. Etsi enim τὸ esse est aeternum et in eo aequalitas dignitatis et indifferentia substantiae *habetur*, attamen τὸ πῶς esse diversum est. Nam Pater quidem ingenite est et a nullo genitus; quapropter re vera etiam Pater est. Filius autem a Patre sine tempore et aeterno genitus est, cum velut ex quodam sole ex hypostasi Patris sine sectione splendor ortus sit [1] atque ex intelligibili luce lux quoque intelligibilis. Sanctus vero Spiritus a Patre quidem et ipse habet aeterno existentiam, verum [non] per generationem, sicut Filius, sed per processionem; sicut enim hic *Filius* a Patre est per generationem divinam et incorpoream et incomprehensibilem, quam minime assequitur intellectus, ita quoque Spiritus sanctus a Patre est per processionem divinam et incomprehensibilem et inexplicabilem: etenim scriptum est eum esse « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit [2] ». Ideo τὸ sine tempore et aeterno esse id quod commune est atque consubstantialitatem sanctae Trinitatis indicat, differentia vero τοῦ πῶς esse proprietatem inducit et absentiam communionis uniuscuiusque ex hypostasibus cum duabus aliis. Etenim Pater in eo, quod a nullo et ingenite sit, firmiter stat, ab ea proprietate in qua Pater agnoscitur non recedens; Filius autem in eo, quod per generationem ortus est ex Patre, manet, ad innascibilitatem sui genitoris non transiens, neque ad * processionem Spiritus sancti, habensque notam intemperatam [3] ipsique soli propriam, qua et unigenitus Filius apparet secundum propriam hypostasim, *scilicet* divinam et incomprehensibilem generationem. Sanctus autem Spiritus processionem a Patre inconcusse possidet atque specialis hypostasis suae indicativam *habet*, non transiens ad innascibilitatem Patris neque ad generationem Filii. Sic ergo unaquaque ex tribus hypostasibus habente nativam suam proprietatem, Patre quidem paternitatis, Filio autem generationis, Spiritu autem processionis *proprietatem habente*, et Pater manet Pater neque Filius aut Spiritus *est*, et Filius *manet* Filius neque Pater aut Spiritus *est*, et Spiritus sanctus *manet* Spiritus sanctus neque

[* p. 64.]

1 In margine: « Quod ex hypostasi Patris est seu genitus est Filius ». — 2 IOH., XV, 26. — 3 ἀμιγής.

Pater aut Filius *est*: sicque sancta Trinitas per distinctionem proprietatum in tribus hypostasibus distinctis cognoscitur et in una substantia per identitatem divinitatis. Neque tres principatus inducere videmur per ea, quae dicta sunt: etsi enim eiusdem divinitatis sunt cum Patre Filius et Spiritus sanctus, attamen referuntur ad Patrem tanquam ad causam nascendi quidem pro Filio, procedendi autem pro Spiritu. Sicque ponimus illum principium et intemporalem et aeternum. Coexsistit enim aeternitati innascibilitatis Patris generatio Filii unigeniti et processio Spiritus sancti, nam ex ipso sunt sed non post ipsum. Etenim omnia, quae post ipsum *sunt*, non sunt ex ipso * secundum substantiam. Si autem ex substantia Dei et Patris *sunt* generatio Filii et processio Spiritus sancti, ab aeterno erant ex ipso, non autem postea facti sunt: quid enim recens adiungetur Deo secundum substantiam?

[* p. 65.]

Nemo vero, cum *haec* audit, per curiosiores impetus mentis scrutetur quid sit generatio Filii, quid autem processio Spiritus, et quomodo Pater quidem ingenite sit atque subsistat, Filius autem per generationem et Spiritus per processionem: qui enim eorum rationem invenire contendit vane super aerem ascendit et amentem sententiam assequitur. Nobis enim solummodo ex divina Scriptura dicente semper esse sanctam Trinitatem, substantiae, id est, ipsius divinitatis unitas [1] innotuit; at cognitio modi quo sit [2] usque eo tantum nobis demensa est, ut sciremus Patrem non ab aliquo *esse*, Filium autem ex Patre natum, sanctum autem Spiritum a Deo et Patre procedentem, ut per haec elucidaretur animabus nostris distinctio [3] trium hypostasium. At ultra hoc, si per scrutationem te dilataveris aut extenderis, τὸ πῶς non invenies neque in terra deorsum neque in caelo sursum [4]: solus enim perfecte novit Pater et Filius et Spiritus sanctus, quomodo sint secundum substantiam et quaenam sit ratio innascibilitatis, quae intellectum exsuperat, et generationis et processionis. Nobis enim ex verbis et sententiis, quae in divinis Scripturis sunt, revelatum est ut credamus unum esse Deum in una substantia et in tribus hypostasibus; quid autem sit * secundum substantiam

[* p. 66.]

1 τὸ ἕν, — 2 τοῦ πῶς εἶναι. — 3 τὸ ἀσύγχυτον. — 4 Cfr *Act.*, II, 19,

Deus prorsus ignotum est non solummodo nobis sed etiam omni creaturae rationabili. Igitur quomodo manifesta stultitia non sit, de quo quid sit ignoramus, nos quomodo sit scrutari et inquirere quid sit innascibilitas, quid generatio et quid processio? Audivimus enim Filium dicentem: « Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare [1] ». Quod ergo revelatum est, amemus; quod autem non est revelatum, ne quaeramus: etenim non revelatum est non propter invidiam, — nam invidia procul a Deo est, — sed quia transgreditur captum nostrum. Multum autem est nobis, — et quidem *ab errore* mundatis, aut ab iis, qui mundati et illuminati sunt, edoctis, — scire beatae et increatae et infectae [2] Trinitatis unam quidem substantiam esse, *scilicet* communem divinitatem [3], tres autem hypostases proprie et definite et inconfuse in Patre et in Filio et in Spiritu sancto conspectas.

Nemo autem, propter humile exemplum ex Helcana et Hiob *sumptum*, quidquam humile affingat contemplationi circa sanctam Trinitatem; nam ad demonstrationem omnium exempla non pertingunt. Etenim Hiob et Helcana communicant quidem inter se substantiam, nam aeque secundum genus homines sunt; separantur autem in hypostasibus et separantur in caeteris omnibus: voluntate, virtute, activitate, loco, tempore, hisque similibus. Sanctae vero Trinitatis substantia non *est* solummodo una, sed *est* etiam voluntas, virtus, activitas, gloria, regia dignitas, itemque ea omnia, * quae aliquis excogitaverit in Deo decentia atque nativa et, ut simpliciter dicam, in omnibus est cohaerens [4] et individua, praeterquam quod distincta et propria est in hypostasibus.

*p. 67.

Bonum autem est super omnia, quae dicta sunt, lucis instar splendere, et quidem *suis* ipsis verbis, vocem sapientis in divinis Basilii. Scripsit enim ad Amphilochium de substantia et hypostasi sic: Basilius: « Substantia vero et hypostasis hanc *inter se* differentiam habent, quam habet id, quod commune est, ad id, quod individuum est [5], verbi gratia, qualem habet

1 Matth., xi, 27. — 2 ἀγένητος. — 3 τὸ κοινὸν τῆς θεότητος. — 4 συνημμένη. — 5 τὸ κοινὸν πρὸς τὸ καθ' ἕκαστον,

« animal » ad « illum hominem ». Quapropter substantiam quidem unam confitemur in divinitate adeo ut essendi rationem haud diverse reddamus, hypostasim autem singularem ut inconfusa et clara nobis sit notio de Patre et Filio et Spiritu sancto. Si enim non consideremus distinctos apud unumquemque eorum characteres, id est, paternitatem et filiationem et sanctificationem, sed ex communibus notionibus τοῦ esse confiteamur Deum, fieri non potest ut ratio fidei sane reddatur. Oportet igitur ut communi proprium adiungatur, sicque fidem confiteamur. Commune est divinitas, proprium est paternitas. Igitur oportet ut coniungendo dicamus: « Credo in Deum Patrem »; rursusque in confessione Filii similiter faciamus, communi proprium adiungendo, dicamusque: « Et *in* Deum Filium »; pariter et de Spiritu sancto secundum enuntiationis consequentiam formantes prolationem dicamus: « Credo et in Spiritum sanctum Deum », ita ut per omnia et unitas servetur in confessione unius divinitatis et proprietas, quae personae [1] *competit*, proclametur in discretione earum proprietatum, quae per unamquamque ex illis *personis* concipiuntur [2]. »

CAPUT SECUNDUM

*p. 68.

Quod natura modo quidem pro substantia et notione communi sumitur, modo autem pro hypostasi unaque persona.

Et haec quidem de substantia et hypostasi *dicta sint*; nomen autem « natura [3] » modo quidem huius, quod commune *est* [4], atque generis significativum est, sicut « substantia », modo autem speciei [5] uniusque subiecti [6], sicut et « hypostasis ». Et accipe, quaeso, testem aperte atque praecise loquentem huius *assertionis* sanctum Cyrillum, — ab aliis etiam item sapientibus doctoribus possemus plurima testimonia apponere; — scripsit enim in quarto tomo adversus blasphemias Nestorii sic: Cyrillus: « Una enim est divinitatis natura; subsistit autem proprie Pater et etiam Filius itemque Spiritus sanctus [7]. » Rursusque, post alia: « Una enim divinitatis natura

1 Videtur interpres legisse in textu graeco: τῷ προσώπῳ. — 2 *P. Gr.*, XXXII, 884. — 3 φύσις. — 4 τοῦ κοινοῦ. — 5 εἶδος. — 6 ὑποκείμενον. — 7 *P. Gr.*, LXXVI, 172.

intelligitur in sancta et consubstantiali Trinitate [1]. » Et hic quidem pro « substantia » et notione communi nomen « natura » dixit; at vero, in epistula ad reginas, cuius initium est: « Ornamentum quidem orbis terrarum », pro hypostasi propria nomine « natura » usus est, sic scribendo: Cyrillus: « Dicimus autem ipsum ex substantia Dei et Patris ineffabiliter genitum, Unigenitum eius Verbum, saeculorum factorem, per quem et in quo omnia *sunt,* verum lumen, naturam omnia vivificantem, — nam vita apparuit velut ex vita Patre, — novissimis saeculi temporibus, Patre volente salvare terrestre genus in maledictionem prolapsum atque per peccatum in mortem et corruptionem praecipitatum, semen Abrahae, ut scriptum est, apprehendisse et communicavisse sanguini et carni, * id est, hominem factum esse [2]. » Ecce manifesto Unigenitum Verbum, unam Filii hypostasim, unum ex Trinitate, vocat « naturam omnia vivificantem », pro hypostasi nomen « natura » assumendo.

Hoc sanctus quoque Alexander, episcopus quidem magnae Deique amantissimae civitatis Alexandrinorum, praeses autem celeberrimae synodi CCCXVIII Patrum, in epistula encyclica ad episcopos adversus Arium et sectatores eius, manifesto ostendit his verbis: Alexander: « Illi, qui acceperunt quidem voces salutaris passionis et humiliationis atque exinanitionis et sic dictae paupertatis eius, atque eorum, quae ascititia Salvator noster pro nobis suscepit, eas recordantes apponunt ad supremam a principio divinitatem eius reiciendam; illas autem *voces,* quae naturalis gloriae eius et nobilitatis atque mansionis apud Patrem significativae sunt, oblivioni tradiderunt. Cuiusmodi est illud: « Ego et Pater unum sumus [3] »; quod Dominus dixit, non seipsum Patrem vocando, neque duas in hypostasi naturas unam esse significando, sed quoniam paternam similitudinem Patris Filius exactissime servare paratus est, cum illius in omnibus similitudinem a natura habeat, sitque indissimilis imago Patris et prototypi expressa figura [4]. »

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 180. — [2] *Ibid.*, 1205. — [3] Ioh., x, 30. — [4] *P. Gr.*, XVIII, 561.

Hic considerandum et observandum est quomodo iste sanctus duas Patris et Filii hypostases nominet duas naturas atque, significando se pro significatione propria sumere nomen « natura », * « duas in hypostasi naturas » dixerit, sciens etiam pro substantia saepe dici nomen « natura ». Hoc autem non de divinitate tantum videre est, sed etiam de humanitate; nam modo quidem pro substantia et generica significatione assumptum est nomen « natura », modo autem pro significatione propria et unius hypostasis. Et quidem pro substantia totoque genere *hominum assumitur,* quemadmodum in tertio tomo adversus Nestorii blasphemias indicavit sapiens Cyrillus, scribendo sic: Cyrillus: « Etenim devoluta est hominis natura ex Adami transgressione in maledictionem et mortem; laboravit autem insuper facilitate peccandi, illam ad malas concupiscentias instigante lege, quae in membris carnis requiritur. At, misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati et peccatum damnavit in carne eius, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum [1]. » *Ad id* autem, quod pro hypostasi sumpta sit rursus *vox* « natura », supra [2] adduximus sanctum Cyrillum in *scriptis* adversus reprehensiones impii Andreae de octavo anathematismo haec scribentem: Cyrillus: « Etenim cum de una quidem persona et natura seu de una hypostasi sermo considerans ea ex quibus est et componitur naturaliter, subiungit *praepositionem* σύν vel μετά, servavit etiam sic rei significatae quod unum sit secundum compositionem minimeque in duo eam dividendam definivit [3]. »

Apparet igitur hic quoque naturam vocatam esse unam personam et unam hypostasim; ubi autem Doctor dixit devolutam esse hominis naturam propter Adami transgressionem in maledictionem et mortem, nomine « natura » τὸ κοινόν hominum totumque genus significavit. Igitur « natura » modo quidem substantiam, modo autem hypostasim significat.

[1] Cfr *Rom.*, viii, 3-4; *P. Gr.*, LXXVI, 164, ubi tamen desunt nonnulla verba hic allegata. — [2] Cfr supra, p. 36. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 352.

* p. 71.

CAPUT TERTIUM

Quod *vox* « existentia », sicut et *vox* « natura » medium tenet, cum ad *significandum* sive notionem communem, sive unumquodque *ens* sumatur.

Sic etiam « existentia » tum substantiae tum hypostasis significativa est, et est quaedam *vox* media; et modo hoc, modo illud significat, pro subiacente sententia. *Quod* statim paucis verbis ostendet sanctus Athanasius scribendo ad episcopos Africae sic: Athanasius: « Nam hypostasis et substantia exsistentia est: est enim et exsistit [1]. » Idem autem, in oratione de salutari manifestatione Christi, existentiam pro generica notione, id est, pro substantia, accipit, contra eos, qui Apollinarii *errores* impiamque phantasiam profitentur, contendendo sic: Athanasius: « Et quodnam in his beneficium pro hominibus, nisi in identitate existentiae et naturae et in naturae novitate apparuisset Dominus, sicut dixit Apostolus: « Quam innovavit nobis, viam novam et viventem [2] », dicens: « Ego sum via et vita et veritas [3] »? Sed dicitis similitudine et imitatione salvari credentes, non renovatione et primitiis: ideo enim etiam primogenitus factus est Christus in multis fratribus et primitiae dormientium, qui est caput corporis Ecclesiae [4]. » Rursusque, in epistula de Spiritu sancto, similiter haec scripsit: Athanasius: « Trinitas autem est, non quantum ad nomen tantum et quantum ad speciem vocis, sed secundum veritatem et existentiam est Trinitas. Sicut enim Pater est is, qui est, ita eius Verbum, quod est, Deus * super omnia est, et Spiritus sanctus non est non existens, sed vere est atque subsistit. Nec his minus aliquid sentit catholica Ecclesia, ne ad hodiernos Caiphae imitatores et ad Sabellium decidat; neque quidquam plus intelligit, ne in paganorum polytheismum labatur [5]. »

* p. 72.

Sapientem autem Cyrillum multis in locis invenimus pro hypostasi propria utentem nomine « existentia ». Scripsit enim,

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1036. — [2] *Hebr.*, x, 20. — [3] Ioh., xiv, 6. — [4] *P. Gr.*, XXVI, 1149; cfr *Coloss.*, i, 18. — [5] *P. Gr.*, XXVI, 596.

in libro septimo expositionis evangelii Iohannis, sic: Cyrillus: « Etenim, esse quidem sanctam Trinitatem in existentiis propriis confitemur: nam Pater est Pater minimeque Filius; rursusque Filius est Filius minimeque Pater, et Spiritus sanctus proprie *est* Spiritus sanctus. Attamen minime recedunt a communione et unitate inter se. Sed neque excogitamus illos singulos, qui agnoscuntur, sicut corpora nostra, ab unitate inter se dividi; sed eos esse quidem in una substantia et in unitate naturae sine ulla controversia aestimabimus; verumtamen seorsum in proprietate hypostasium atque personarum unusquisque in id, quod est, incomprehensibiliter compingitur, ut ita dicam [1], et in se manet: sic enim unam divinitatem videmus in sancta et consubstantiali Trinitate [2]. » Idemque rursus, in libro septimo expositionis evangelii Matthaei, de eadem contemplatione sic dixit: Cyrillus: « Sancta namque Trinitas in Patre cognoscitur et in Filio et in Spirito sancto; sed appellatio uniuscuiusque eorum, qui numerati sunt, non partem eius, sed eam totam absolute significat. Etenim individuus et simplex est Deus; nam separatur quidem * in existentiis et in nominibus et in personis ad singulos secundum propriam constitutionem [3], ipsa autem naturae unitas eos coniungit in unam gloriam et dignitatem et adorationem: una enim est nobis [4] divinitas [5]. »

* p. 73.

Sapiens quoque Basilius, in oratione syllogismorum adversus superbum et impium Eunomium, existentiam pro hypostasi propria sumit, ubi dicit nomini « ingenitus » subesse significationem existentiae cuiusdam, non autem substantiae [6]: non enim ostendit *istud nomen* quid Pater secundum substantiam sit, sed modum existentiae tantum ostendit, significando eum non ab aliquo esse, sed innascibiliter esse; ubi etiam in id incumbit ut ad absurdum redigat istum ineruditum, sic scribendo: Basilius: « Si impossibile possibili contrarium est, et insipiens sapienti, et omnia, quae contraponuntur, inter se contraria sunt, contrarium est ingenitum genito. Igitur contra-

[1] In margine: « quodam modo ». — [2] Locum non repperi; attamen cfr *P. Gr.*, LXXIV, 33. — [3] ἰδιοσυστάτως. — [4] In margine: « secundum nos ». — [5] Locum non repperi. — [6] Cfr *P. Gr.*, XXIX, 680.

rius est Pater Filio secundum substantiam, si ingenitum *esse* non existentiae modus sed substantia sit [1]. »

Sanctus autem Cyrillus non solummodo circa divinitatem, sed etiam circa humanitatem nostram appellatione existentiae de hypostasi utebatur, cum ad Nestorium, qui Deum Verbum et eum, qui ex Maria, hominem coniungebat per adhaesionem, ut dicebat, dignitatis filiationis atque, ut delirabat, aequalitate dignitatis exinde consequente, in tomo secundo adversus blasphemias huius iniqui sic scripsit: Cyrillus: « Adhaesionem autem inerudite [2] vocas aequalitatem dignitatis. Qualis enim est hic adhaesionis modus? Numquid nescis pergratum esse iis, qui in mundo sunt, in mundanis splendoribus esse? Qui a principibus locupletantur * dignitatibus, sed aliquando, dum aequalibus pollent dignitatibus, inter se separantur, singulari dico existentia, imo in eo ipso quod eadem sapere atque perficere illis placeat [3]. »

* p. 74.

Videas vero quomodo doctor pietatis sapienter dixerit homines, qui eundem aequalitatis dignitatis gradum teneant, separari singulari existentia, id est, propria hypostasi. Etenim generica existentia non separantur, nam substantia aequaliter ac coniuncte homines sunt. Igitur et existentia, sicut et natura, modo quidem substantiae, modo autem hypostasis significativa est.

CAPUT QUARTUM

Quod hypostasis, sive simplex sive composita sit, vocatur etiam persona quando singillatim secundum constitutionem subsistit; iis autem, quae in compositione absque mutatione et confusione subsistunt, singulis propriam personam assignari impossibile est, quia una ex duobus hypostasis absolvitur.

Hypostasim autem a mystagogis quidem sanctae Ecclesiae vocatam esse « personam » novimus; idque in testimoniis supra [4] adductis praemissum est, cum Basilius quidem ad Amphilochium de sancta Trinitate sic scripserit: Basilius: « ... ita ut per omnia et unitas servetur in confessione unius divini-

[1] *P. Gr.*, XXIX, 681. — [2] Interpres legit in textu graeco: ἀμαθῶς. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 65. — [4] Cfr supra, p. 53.

tatis, et proprietas personarum proclametur in discretione earum proprietatum, quae apud unamquamque concipiuntur [1] », sanctus autem Cyrillus, in libro septimo expositionis evangelii Iohannis dixerit: Cyrillus: « .. sed eos esse in una substantia et in unitate naturae sine ulla controversia * aestimabimus; verumtamen seorsum in proprietate hypostasium unusquisque in id, quod est, incomprehensibiliter compingitur, ut ita dicam, et in se manet [2] ». Sed et Gregorius theologus, in oratione in *sancta* Lumina, idem manifesto docet, dicens: Gregorius: «Deum porro cum dico, uno lumine et tribus *luminibus* undique illustremini: tribus quidem, secundum proprietates seu hypostases et, si cui *eas sic* vocare placeat, *secundum* personas; — minime enim de nominibus disputabimus, dummodo verba ad eandem sententiam ducant; — uno autem, secundum substantiae, seu divinitatis, rationem [3]. »

* p. 75.

Sumptum est autem nomen « persona » quoad Trinitatem ad accuratam significationem *indolis* distinctae, minimeque confusae aut permixtae trium hypostasium, non autem ut humanam formam aut tandem imaginem quandam circumscriptam et figuratam fingamus quoad substantiam illam incorpoream, infiguratam omnibusque sublimiorem. Audimus enim Paulum, in Actibus, ad turbas Athenis loquentem atque dicentem: « Non debemus aestimare auro aut argento aut lapidi sculpto arte vel cogitatione hominis divinitatem esse similem [4] »; etenim excelsior est omni motu intellectus et cogitationis et imaginationis corporalis. Unumquemque vero ex hominibus et hypostasim huius dici personam antea [5] allegavimus sanctum Cyrillum indicantem, in scriptis adversus impium Andream, qui capitulum octavum reprehenderat; defensionem struens, haec dicit: Cyrillus: « Etenim cum de una persona et natura seu una hypostasi sermo, considerans ea ex quibus est vel componitur naturaliter, subiungit *praepositionem* σύν vel μετά, servat etiam sic rei significatae quod unum sit secundum compositionem, * minimeque in duo separatim *eam* definit. Cum autem ante dividuntur hypostases in duas, et ad id, ut seorsum

* p. 76.

[1] *P. Gr.*, XXXII, 884. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, XXXVI, 345. — [4] *Act.*, xvii, 29. — [5] Cfr supra, p. 36.

unaquaeque singulariter concipi debeat, *praepositio* σύν vel μετά dicitur, tunc duorum vel multorum, minimeque unius secundum compositionem dicimus *hac praepositione* significationem fieri. Exempli gratia, si forte dicam hominis animam cohonorari cum suo corpore, si quis fiat honor a quopiam erga unum hominem, qui ex utrisque est; aut si quis dicat hominis animam unum animal esse cum proprio corpore: nullo modo in duos homines hunc unum *hominem* definit, videtur autem potius non ignorare ea, ex quibus est aut componitur naturaliter. Quando vero dico: Petrus et Iohannes coappellantur homines, vel: cum Petro etiam Iohannes ascendebat in templum, *praepositio* σύν vel μετά iam non unius hominis significationem facit. Non enim componitur Petrus cum Iohanne, sed nec ambo in unius hominis constitutione sunt. Cur ergo machinantes adversus veritatem hunc unum in duos Christos dividunt? [1] »

Igitur ex iis, quae dicta et apposita sunt, intelligendum est quod hypostasis signat personam propriam quando in distincta subsistentia subsistit, sive simplex sit sive composita. Et simplex quidem, sicut de Patre et de Filio et de Spiritu sancto; audivimus enim quomodo Doctor *Cyrillus*, in expositione evangelii Matthaei, dixerit separari existentias, id est, hypostases et personas et nomina secundum propriam constitutionem [2]. Composita vero, sicut ubi *dicitur* de Petro vel Iohanne subsistente ex anima et corpore perfecte se habentibus secundum propriam rationem suam, siquidem in propria constitutione [3] tum Petrus tum Iohannes subsistunt: rursus enim audivimus [4] verbum Doctoris *declarantis* non componi Petrum cum Iohanne, * p. 77. * neque ambos in una hominis hypostasi esse, etsi in templum alter cum altero ascendere dicitur aut simul apostoli vocantur. Itaque, cum anima et corpus, ex quibus unus homo *habetur*, inconfusam suam hypostasim servent, — neutrum enim in alterum mutatum est, quia in compositione, non autem in singulari subsistentia subsistunt, — propria quidem persona illis non ascribitur; id autem, quod ex illis

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 352. — [2] Cfr supra, p. 57. — [3] ἰδιοσυστάτως. — [4] Cfr supra.

absolvitur, unam hypostasim ostendit unamque personam. Sic etiam Emmanuel ex divinitate et ex humanitate, id est, ex carne humana rationabili anima animata, perfecte se habentibus secundum suam rationem, una persona est per concursum, absque mutatione et absque confusione, ex duobus in unitatem, Deo Verbo hypostasim suam, dico divinitatem suam saeculis antiquiorem sine mutatione tenente, et humanitate, quam inexplicabiliter sibi univit in sua hypostasi sine mutatione manente, cum fieri non possit ut unicuique ex illis, divinitati dico Unigeniti atque humanitati ipsi unitae, propria persona ascribatur, quia in compositione apparent minimeque in proprietate subsistentiae subsistunt separateque reperiuntur, sed ex convenienti Deo atque incomprehensibili coniunctione *eorum* inter se una ex utraque, ex divinitate et ex humanitate, absolvitur hypostasis et consequenter una persona, id est, ipsius Verbi incarnati: quod *Verbum* aeterno quidem et ante saecula incorporaliter subsistebat, novissimis vero diebus propter misericordiam se carni anima rationabili praeditae implicari tulit, ut corporeus propter oeconomiam agnosceretur is, qui secundum * divinam substantiam incorporeus est sicque omnia * p. 78. implet, imo omnia tenet ineffabiliter atque sicut ipse solus, cum suo Patre et sancto Spiritu, novit.

Iam vero, quod apud *rem* compositam, ut apud Emmanuelem et apud quemlibet hominem, ea, ex quibus compositi sunt, absque mutatione quidem in hypostasi sua maneant, persona vero propria singulis *elementis* non adscribatur; *quod* autem ea, quae in propria subsistentia [1] subsistunt, eo quod in hypostasibus separentur, etiam in distinctis personis definiantur: *id* manifesto videmus, si aures dociles [2] praebeamus sancto Cyrillo sapienter increpanti Nestorium, qui unum Christum in duas naturas seu hypostases dividebat et dolose asserebat se confiteri unam utriusque personam, quia una est utrique dignitas et *unum* filiationis nomen. Illum enim tanquam ineruditum docet *Cyrillus* fieri non posse ut hypostases, quae per naturalem unionem non concurrerunt in unum, sed in propria subsistentia subsistunt, unam personam habeant, sed eas esse

[1] ἰδιοσυστάτως. — [2] εὐδίδακτος.

atque nominari duas personas, licet unum gradum et *unam* dignitatem habeant.

In secundo autem tomo adversus huius insipientis blasphemias dicit sic: CYRILLUS: « Vides quomodo multiformibus impiarum sententiarum inventis varietur et illam secundum carnem Unigeniti generationem conetur ostendere non aliter futuram fuisse nisi facta aliqua hypostasium inter se confusione seu mixtione, quamvis Ecclesiae doctores non hunc modum nobis mystice tradiderint. Etenim dicimus veram coniunctionem factam esse, Verbo sibi quidem uniente corpus, manente autem eo, quod erat. Iste autem ex talibus *doctrinis* nihil habens in sua mente, immoderata impietate laboravit, separando *Christum* in duas personas et in duas hypostases* omnino inter se distantes, dum unicuique earum sermones ipsi convenientes proprie tribueret; rursusque unum Christum Iesum Dominum dicit, tanquam hominem Deo adhaerentem sola dignitate, non autem vera unione, id est, *unione* secundum naturam. Quomodo igitur iam unus est Christus et Filius et Dominus, si ambobus seorsum conveniat, ut dixisti, ut sic nominentur et vere sint, cum minime unitae sint hypostases inter se secundum unionem, sed unitae sint secundum solam dignitatem vel auctoritatem vel potestatem? Iam autem rerum naturas pervestigantes, ea quae in aequalitate dignitatis sunt non hanc ob causam videbimus amisisse id, quod in proprietate subsistentiae [1] sint; neque rursus id, quod gloria sint aequalia, sufficiet ad unionem *habendam*. Exempli gratia: Petrus et Iohannes ambo ex apostolis erant atque sancti et aequalibus honoribus et virtutibus per Spiritum *factis* decorati ab omnium Salvatore Christo; audiebant enim, praeter alia: « Vos estis lux mundi [2] », rursusque: « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemonia eicite [3] ». Numquid ergo propter aequalitatem dignitatis et aequalitatem auctoritatis quam habebant, dicemus ambos in unum hominem recenseri, idque ipsis sufficere ad unionem, eam *unionem* dico, quae in hypostasi habetur? Ceterum, quomodo ita sentire non merito stultissimum censeretur? [4] »

* p. 79.

[1] ἰδιοσυστάτως. — [2] MATTH., V, 14. — [3] *Ibid.*, X, 8. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 64.

Igitur hypostases, ubi separatim quidem subsistunt, separantur etiam in duas personas et unicuique earum * propriam adscribit *Cyrillus* personam utpote in proprietate subsistentiae subsistenti; ubi autem inter se per naturalem unionem congregantur, eam quidem, quae ex suffusione *est*, mixtionem non patiuntur, unam autem ex utraque hypostasim et personam unam absolvunt. Non enim duae *sunt*, propterea quod eiecerunt, iuxta vocem Doctoris, τό in proprietate subsistentiae [1] subsistere. Etenim dicit etiam, in tomo tertio adversus Nestorii blasphemias, haec: CYRILLUS: « Igitur hypostasibus, ut ais, in duo divisis et separatim atque singillatim existere intellectis, quomodo congressus in unam personam fiet? [2] » Sic etiam in oratione prosphonetica ad piisimum imperatorem Theodosium dixit: CYRILLUS: « Noli, quaeso, separare neque dividere, post unionem, in hominem singillatim et Deum Verbum nobisque duas personas habentem [3] Emmanuelem fingere [4]. » In Scholiis autem scripsit: « Etsi in veram unionem congressum est Verbum ad humanitatem, inconfusae manserunt hypostases; attamen non signantur duae personae; nam in veram unionem congressae sunt, cum in proprietate subsistentiae non subsistant [5]. » Ideo ergo etiam scribens ad Nestorium epistulam tertiam synodicam sic dixit: CYRILLUS: « Uni ergo personae omnes evangelicas voces tribuamus, uni Verbi incarnati hypostasi: unus enim Dominus Iesus Christus, ut scriptum est [6]. »

* p. 80.

Quae ergo a nobis dicta sunt, capitulatim haec sunt: substantia quidem communitatis et genericae notionis est significativa; hypostasis autem repraesentat unum separatim quoddam subiectum, quod personam quoque nominamus, * ubi in proprietate subsistentiae subsistit, sive simplex sit, sive ex compositione in individuam unionem congregatum sit. Iis vero, ex quibus compositum est, etsi inconfusa servantur, propterea quod in compositione minimeque separatim subsistunt, propria persona non adscribitur. Quomodo enim hoc ferrent ea, quae ex insecabili ad invicem concursu unam absolverunt per-

* p. 81.

[1] ἰδιοσυστάτως. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 160. — [3] διπρόσωπον. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 1168. — [5] Locum non repperi. — [6] *P. Gr.*, LXXVII, 116.

sonam atque unam hypostasim? Naturam autem atque subsistentiam unum esse agnovimus atque modo quidem pro substantia, modo autem pro hypostasi sumuntur.

CAPUT QUINTUM

Quod hypostasis propria monnunquam appellata est substantia sicque a doctoribus Ecclesiae vocata est.

His ergo ita discretis, et virtute atque notione singulorum nominum nostrae contemplationi propositorum, ut facultas tulit, illustratis, sciendum est reperiri a nobis eximios sanctarum ecclesiarum doctores saepe de hypostasi propria nomine « substantia » usos. Et videas, quaeso, Spiritu sapientem Basilium, in prima ex orationibus ad impium Eunomium scribentem haec: Basilius: « Dominus noster Iesus Christus, in verbis de seipso *prolatis,* cum deitatis misericordiam et ex oeconomia gratiam hominibus significaret, notis quibusdam apud ipsum apparentibus hunc *usum* significavit, seipsum dicendo portam, viam, panem, vineam, pastorem et lucem. Non
* p. 82. quod multinominis sit, nam non* omnia nomina ad eundem inter se *sensum* ducunt, siquidem aliud est quod luce, aliud quod vinea significatur; sed quia, cum unus secundum subiectum sit et una atque simplex minimeque composita substantia, alias aliter seipsum nominat, accommodando cogitationibus appellationes inter se diversas: nam iuxta operationum diversitatem et iuxta relationem ad ea, quae beneficiis afficiuntur, diversa quoque sibi nòmina imponit[1]. » Christum autem dixit « unam substantiam simplicem minimeque compositam », id est, unam Unigeniti Verbi hypostasim, qui simplex erat in divinitatis natura priusquam se exinaniret, atque propter oeconomiam salutarem ad humanitatem unitus est: etenim de nuda et seorsim intellecta ipsius Dei Verbi hypostasi luctabatur *Basilius* cum immundo Eunomio.

Nec mirandum est si Christum vocaverit eum qui, antequam incarnaretur, simplex minimeque compositus *erat:* id enim fecit etiam a Deo edocta synodus CCCXVIII sanctorum

1 *P. Gr.,* XXIX, 524.

Patrum, cum nobis verae fidei definitionem condiderunt. Dixerunt enim: Synodus Nicaena: « Credimus et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum, id est, ex substantia Patris[1] », etsi Iesu Christi nomen nullo modo conveniebat illi cum ante saecula ex Patre genitus est: nam istud *nomen* novum est et acquisitum ipsiusque propter inhumanationem factum. At Patres non simpliciter haec dixerunt, neque theologiam et oeconomiam confundentes, sed diligenter istis novis nominibus eum appellaverunt, dum de eius generatione saeculis antiquiore loquerentur significarentque haud alium esse eum, qui ante saecula *erat* atque alium * eum, qui * p. 83. novissimis temporibus venit, sed unum eundemque prius quidem carnis expertem, suis autem temporibus et postea ex Maria incarnatum, et Iesum Christum vocatum. Haec enim nomina ab oeconomia initium et causam acceperunt, quemadmodum sanctus quoque Cyrillus, in iis quae scripsit ad impium Diodorum, docet *dicens* haec: Cyrillus: « Christum autem seu Iesum a nullo vocatum esse nondum hominen factum illud, quod ex Deo Patre *est,* Verbum manifesto intelligitur, quia « Christus » quidem unctionem significat, « Iesus » autem *nomen* impositum est manifesto voce angeli et ante conceptionem in sancta Virgine ei, qui ex illa secundum carnem genitus est[2]. » His autem similia dicit etiam in iis, quae ad piissimas reginas scripsit sic: Eiusdem: « Cum enim Verbum caro factum est, tunc Illud et Christum Iesum nominatum esse dicimus[3]. »

Videtur autem in secunda quoque oratione contra Eunomium ipse deifer Basilius Unigeniti hypostasim vocare « substantiam », sic scribendo: Basilius: « Genita autem imago dictus est atque est Filius: nam splendor est gloriae Dei, et sapientia et virtus et iustitia Dei, non ut habitus vel [aptitudo][4], sed substantia naturalis et operans et splendor est gloriae Dei, quia totum in se Patrem ostendit, ex tota eius gloria resplendens[5]. » Idem et is, qui spiritualia flumina de intellectuali

1 Mansi, *Concil.,* t. II, 665. — 2 Locum non repperi. Cfr huius editionis t. II, p. 77. — 3 *P. Gr.,* LXXVI, 1220. — 4 Graece: ἐπιτηδειότης. Vocem syriacam restituere non potui. — 5 *P. Gr.,* XXIX, 605.

ventre suo emittit et per linguam suam sane atque copiose effundit, Iohannes, episcopus constantinopolitanus, in oratione quarta * expositionis evangelii Iohannis, scripsit sit: IOHANNES CONSTANTINOPOLITANUS: « Hoc autem Verbum est substantia quaedam hypostatica [1], quae a Patre sine passione processit. Illud enim, ut antea dixi, per Verbi appellationem significavit [2]. »

* p. 84.

Igitur, hic quidem divinitatem Christi, id est, propriam Unigeniti hypostasim vocaverunt substantiam doctores orthodoxiae; saepe autem substantiae nomine appellant etiam humanitatem eius, id est, carnem anima menteque praeditam quam per oeconomiam fecit suam cum hypostatice ad illam unitus est. Quod in promptu est statim videre ex iis, quae ad Succensum secundo scripsit sanctus Cyrillus sic: CYRILLUS: « Nam si, postquam « unam naturam Verbi » dixeramus, tacuissemus, quin adiunxissemus « incarnatam », quasi excludentes dispensationem, esset fortasse ipsis sermo, et quidem non ineptus, ad simulate interrogandum: Ubinam perfectio humanitatis, aut ubinam etiam subsistit substantia nostri similis? Sed quia et perfectio in humanitate et nostrae substantiae designatio illata est per hoc, quod diximus « incarnatam », desinant baculo arundineo inniti [3]. »

Agnitum est ergo etiam exinde hanc unam carnem rationali anima animatam, quae hypostatice unita est Verbo, « substantiam » clare vocatam esse, quia de propria designatione nomen « substantia » quandoque a doctoribus sumitur.

* p. 85.

CAPUT SEXTUM

Quod male et insipienter propter diversitatem secundum substantiam divinitatis et humanitatis, ex quibus Emmanuel *constituitur*, isti impii naturarum dualitatem post unionem imaginantur.

His autem prius cum testimoniis sine ulla controversia perspectis atque coram auditoribus positis, videamus iam quo modo pro iis, quae in Chalcedone innovata sunt, iste strenuus Grammaticus defensionem struat: GRAMMATICUS: « Ad eos autem, qui sanctam synodum chalcedonensem calumniantur, et ad eos, qui non dicunt duas naturas vel duas substantias in Christo esse, sermonem convertamus. Et primo quidem hoc eos rogabimus: Natura, id est, substantia divinitatis, estne corpus an incorporea? Et evidenter dicent eam incorpoream esse, nisi a rectis cogitationibus delapsi sint. Rursusque eos rogabimus: Natura carnis quaenam est? Et omnibus apparet eos confessuros esse *eam* corpus *esse:* nam palpatur; quidquid autem palpatur, corpus est. Quomodo ergo in una substantia est Dei Filius post oeconomiam, et in perfecta divinitate atque in perfecta humanitate esse agnoscitur? [1]»

[1] ἐνυπόστατος. — [2] *P. Gr.*, LIX, 47. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244.

Iterum de iisdem ineptiis stultisque calumniis sollicitus es, quas incipiendo in libello *tuo* prius posuisti. Quem enim nosmet trum argues, — quod antea saepe dixi, — sensisse, id est, delirasse unam substantiam esse Unigeniti divinitatem et carnem, quae ex deipara virgine Maria *sumpta est*, nobisque consubstantialis est et rationabiliter animata ipsique *Verbo* unita? Cui autem eos, * ex quibus aranei tela *texitur*, implicabis laqueos, quibus muscas utique te capturum esse hallucinaris, dum ne crabones quidem sustinent statimque propter extremam infirmitatem dirumpuntur, nedum humanae manus tactum perferant? Et forsitan crabones, minimeque rationabiles homines deceret tecum pugnare, cum huiusmodi puerilia et infirma loquaris. Narrat enim alicubi [2] sacra Scriptura adversus Amorrhaeos, qui cum Israel pugnabant, Deum supremum armavisse ad pugnam crabones, cum forsitan iudicavisset dignum bellatorum opus non fore caedem istorum impiorum, et hoc ipso *Amorrhaeos* erudiret ut imbecillitatem suam cognoscerent. Sic ergo tuae quoque sententiae stultae et amorrhaeanae crabonibus dignae sunt, quia per impietatem pugnant cum Israel Dei.

* p. 86.

Quid enim putas prorsus tibi consequi, quasi ex irrefutabilibus ratiocinationibus, *scilicet ex* eo, quod carnis quidem natura palpetur, Deus Verbum autem sub tactum non cadat, ut in duas naturas a me quoque Emmanuel discindatur? Numquid ad subtilium sententiarum tuarum fraudem irrefutabili-

[1] Locum non repperi. — [2] Cfr Ios., XXIV, 12.

bus fere demonstrationibus velut captivos adduces eos, qui tibi contradicunt, manus illis a tergo colligando atque efficiendo ut sentiant praeter id, quod sentiendum est? Atqui, clare scito te a veritate deflexisse et velut in somniorum imaginatione frustra pugnare. Etenim, etiam cum ab omnibus recte sentientibus creditur haud palpabilem atque incorpoream esse Unigeniti divinitatem, carnem autem et palpabilem esse et solidam et nobis consubstantialem atque rationali anima non destitutam, *etiam tunc* ex duabus naturis, *ex* divinitate et humanitate secundum rationem suam perfecte se habentibus, unus apparet Emmanuel* unaque natura Dei Verbi incarnata: quae, utpote quae divisioni earum *naturarum* opponuntur, chalcedonensis synodus non confessa est.

* p. 87.

Igitur ostende *synodum* haec confessam esse et noli procedere per verba vana, quae sensu carent atque extra stratam viam aberrant. Sed nec te, epistulam ad Succensum saepe revolventem, fugiat ex duabus naturis unum Dominum Iesum Christum proclamari, itemque unam naturam Dei Verbi incarnatam praedicari: *quae* quasi complexivae [1] *formulae sunt* insecabilis incarnationis. Haec sanctus quidem Cyrillus exigebat atque tradebat, chalcedonensis autem synodus omisit, non utique nescia: sciebat quidem, nonnullis resistentibus, sed tandem propter impietatis potentiam cessit. Etenim cum *episcopi* a principibus urgerentur ut litteris mandarent id, quod tempori et impietati placebat, clamabant: « Symbolum aliud nemo condit; sufficiunt ea, quae Nicaeae exposita sunt », atque canonem proferebant prohibentem quominus alia fides conscribatur [2]. Cumque adhuc invaluisset necessitas, scripserunt tamen, etsi praeter canonem, ea quae consona erant veritati: neque enim ullo modo oportebat, sicut et ipsi clamabant, quidquam parvum aut magnum adderetur fidei perfecte et integre se habenti. Attamen, cum scripsissent, rursus urgebantur ut ad aliud symbolum devenirent, nec destiterunt ii, qui vim inferebant, donec Christum dissecarunt, eumque in duabus naturis *esse* definierunt.

[1] περιεκτικά. — [2] Cfr Mansi, *Concil.*, t. VI, 953.

Et cum ex parte inter ea, quae sanctus Cyrillus ad Succensum scripsit, reponantur haec: Cyrillus: « Videmus duas inter se coniunctas esse naturas secundum insecabilem unionem inconfuse et immutabiliter: caro enim caro * est, et non divinitas, etiamsi Dei caro facta est, itemque Verbum Deus est, et non caro, quamvis sibi propriam secundum dispensationem fecerit carnem. Igitur cum id intelligimus, nihil laedimus illum in unitatem concursum, illum ex duabus naturis factum esse dicentes; sed post unionem, non dividimus inter se naturas, neque in duos Filios illum unum et indivisibilem dissecamus, sed unum Filium dicimus et, ut dixerunt Patres, unam naturam [Dei] Verbi incarnatam [1] », explica nobis, o astute synodi chalcedonensis defensor, quique sola gutturis tui voce epistulas ad Succensum profers, ut per hoc orthodoxus censearis et simplices terreas: ubi est concordia *verborum* synodi chalcedonensis cum Cyrillo, diligentissimo divinorum dogmatum interprete; ubi habetur « ex duabus naturis », ubi « unam naturam Dei Verbi incarnatam », ut Patres dixerunt, confitendum esse? Pro his Patribus zelo exardesce; illorum verba require, eaque non inveniens in iis, quae in Chalcedone scripta sunt, agnosce pugnam adversus veritatem et noli tibi ipsi illudere, dum niteris mendaciis, ut scriptum est in Proverbiis [2], et oblivisceris semitarum agri tui et incedis per aridum desertum; et in vacuum pugnas, cum nemo sit qui ad manus tecum perveniat [3]; et oppugnationes [4] tritas, quaeque ex seipsis dissolvuntur, tanquam validas oppugnationes apprehendis; et putas, eo quod divinitas quidem Emmanuelis incorporea sit et spiritualis, caro autem sensibilis sit et sub tactum cadat, me tibi dedisse locum in duas naturas illum unum * indivisibilem secandi atque definiendi. Ex qua enim alia *ratione* devenisti ad stulte interrogandum: « Utrum horum? Palpaturne Deus, an e contrario corpus intactile est? »

* p. 88.

* p. 89.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 232. — [2] Cfr *Prov.*, IX, 12. — [3] συμπλέκεσθαι. — [4] εγχείρημα.

CAPUT SEPTIMUM

Quod omnes haeretici, qui unum Christum in duo secant, easdem amentes interrogationes proferunt, diversitatem substantialem divinitatis et humanitatis *ut* divisionis causam iactantes.

Diodorum quoque iisdem inanibus interrogationibus usum atque per illas viam divisioni sternentem produxit sapiens Cyrillus sic: DIODORUS: « Numquid ex Dei substantia, qui ex semine David? Nonne Deus Verbum ex substantia Patris est et is, qui ex semine David, ex substantia David? [1] » Quid ergo ad haec dixit eximius praeco veritatis expandens tam frigidarum interrogationum causam, quae est sectio? CYRILLUS: « Itaque, etsi ex substantia Patris vere est illud, quod ex ipso *est*, Verbum; etsi ex semine David caro, et utrumque verum, — nam verum est, minimeque negamus; — etsi non amovemus Unigenitum a substantia Dei et Patris, neque rursus carnem a substantia David: attamen scimus evangelistam divum Iohannem manifesto scripsisse: « Et Verbum caro factum est». Iam vero caro factum est, non in carnem mutatum, — naturam enim habet mutatione superiorem; — sed cum illam *carnem* sibi ineffabiliter univerit, ut unus Filius iam agnoscitur et dicitur Iesus Christus Dominus, non vero, ut dixit Diodorus, cum servum quemdam sibi adiunxerit, prorsus dissectus etiam in dualitatem filiorum [2]. »* *p. 90.

Occurrit autem sapienter Nestorio quoque iisdem interrogationibus inanibus et ab omnibus agnitis ad duplicitatem properanti et exinde putanti se paraturum esse oeconomiae scissionem et unionis separationem, atque in tomo tertio adversus blasphemias eius pollutas eius vias sic claudit: CYRILLUS: « Cur igitur oeconomiae sapientiam violenter aufers, ut censeatur decenti cum ornatu non facta, per id quod dicis: « Num semen Abrahae est divinitas? Num secundum divinitatem habuit fratres sui similes? [3] » Annon hoc apertus stupor est? Nam inepte interrogare et ad blasphemiam detrudere ea, quae tam recta et immaculata sunt, quod ad rationem intellectae

1 Locum non repperi. — 2 Locum non repperi. — 3 *P. Gr.*, LXXVI, 124.

in Christo oeconomiae pertinet, quid aliud est nisi pessimae omnium amentiae demonstratio [1]? »

In quinto autem tomo eidem Nestorio, ad illam, quam sectabatur, divisionem *evincendam* vulgatis *argumentis* utenti atque, sicut sapientia tua, dicenti: « Neque enim contrectatione divinitas invenitur [2] », ea adhibet medicamenta, quae amentes istas interrogationes sanent: CYRILLUS: « Sed, nisi *Verbum* factum sit palpabile et visibile, utpote habens corpus tactui visuique subiectum, quomodo speculatores Verbi facti sunt sapientissimi discipuli? Quomodo autem dicunt se vidisse et contrectasse Verbum vitae, quae erat apud Patrem et apparuit nobis [3]? Hunc ipsum ergo contrectabilem atque visibilem, hunc qui ligno suffixus fuerat, cum Thomas agnovisset, confitebatur, et rectissime quidem, eum Deum et Dominum; dixit enim statim: « Dominus meus et Deus meus [4] ».

Haec et nos ad callidam et invincibilem interrogationem tuam * respondebimus; et, si angeris, eo quod unum confiteamur Christum unamque naturam Verbi incarnatam et ideo ad calumniam confugis et crimini nobis das mixtionem et effusionem quandam carnis ad divinitatem, quasi existimantibus nobis, stulte simul atque ut nullo pacto fieri potest, ambas esse unam substantiam, habes quidem supra fuse apposita ea, quae hanc vanam suspicionem procul removent [5]. *p. 91.

Sed quia epistulas *Cyrilli* ad Succensum tanquam clypeum quemdam ad terrendos adversarios tuos exhibes tantum, sicut ii, qui in ludis ad speciem stant, statimque abicis, te quasi scutum abicientem non reprehendemus, sed incitabimus ut hunc ipsum clypeum prae te proicias et eo *protectus* in teipsum irruas calumniaeque tela emittas. Proferam enim in medium ea, quae in media et robustiore parte ipsius clypei reperiuntur, quamvis modum non excederet, qui totum *clypeum* similem vocaret ferro, quod in medio *clypeo ponitur*: ex nulla enim parte fieri potest ut per illum transeat telum adversariorum. Verumtamen ea oculis mentis tuae lege et cessa eandem superfluam calumniam semper recitare: CYRILLUS: « Non enim de

1 *P. Gr.*, LXXVI, 125. — 2 *Ibid.*, 240. — 3 Cfr I IOH., I, 1-3. — 4 *P. Gr.*, LXXVI, 241; IOH., XXII, 28. — 5 ἐκποδὼν ἀπάγειν.

iis tantum, quae sunt secundum naturam simplicia, « unum » vere dicitur, sed etiam de iis, quae secundum compositionem congregantur, cuiusmodi res est homo ex anima et corpore. Nam diversae secundum speciem sunt huiusmodi res minimeque inter se consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit differentia secundum naturam eorum, quae ad unitatem adducta sunt. Supervacaneo igitur loquuntur qui dicunt, si una sit natura Verbi incarnata, prorsus * et omnino consequi confusionem et commixtionem factam esse, utpote imminuta et subtracta humanitatis natura. Neque enim imminuta, neque, ut aiunt, subtracta est; sufficit enim ad plenissimam demonstrationem huius, quod homo factum sit, dicere: « incarnatum est ». Hoc enim si a nobis taceretur, haberet locum aliquem eorum calumnia; cum vero necessario a nobis additum sit, ubinam imminutionis aut subtractionis modus [1]? »

* p. 92.

Quomodo igitur, o bone, pro nihilo duxisti ea, quae tibi ostendunt quomodo non in unam eandemque substantiam commixta sint ea, ex quibus Emmanuel *est*, et sicut imperiti et ridiculi medici tua sponte ad eos, qui sani sunt, ingrederis, cum te a portis suis abigant, atque sacras Cyrilli voces probris afficis, eas intempestive adhibendo, et ex ipsis ad Succensum epistulis ad nos proclamas fieri non posse ut illud e terra corpus mutationem in divinitatem patiatur? Iamque sicut ii, qui insania laborant, [ubi] in impetu, qui ipsos agit, fiunt et ab eo ducuntur atque ex toto insaniae, quae ipsos tenet, traduntur, ad se redire nequeunt, ita et tu, praeterquam quod non sine voluntate tua, ut illi, sed prorsus tua voluntate, priorem impetum cohibens, orationem tuam frustra protrahis et tanquam rem, de qua controversia est, demonstras id, quod in confesso est, *id est*, non idem secundum substantiam esse creatum et increatum, factum et non factum, atque tempori subiacens et intemporale. Cumque nemo sit, qui de eo disputet, adducis multitudinem testimoniorum sanctorum Patrum. Ad quae placet et convenit id tibi dicere, quod * a quodam ex prophetis dictum est: « Vae ei, qui sibi multiplicat non sua; usquequo? et

* p. 93.

1 *P. Gr.*, LXXVII, 241.

aggravanti collare suum dure, quia subito exsurgent mordentes eum[1]. »

Quousque enim tolerabimus te vane corroborantem ista ligamina, quin exsurgamus et mordeamus te iis ipsis, quae ad Succensum scripta sunt: quae manibus tuis detorquentur, ex ore tua frustra cadunt et quasi exsurgentia adversus te, validis morsibus te mordent, ita ut vel stuporem tuum affligant, et clamant ad te, cum interrogas: « Utrum horum? Estne idem intactile ac contrectabile, et id, quod sub sensum cadit, *idem* ac spirituale? »: Cyrillus: « Nam diversae quidem secundum speciem sunt huiusmodi res, minimeque inter se consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit naturalis differentia eorum, quae ad unitatem adducta sunt. Supervacaneo igitur loquuntur qui dicunt, si una sit natura Dei Verbi incarnata, prorsus et omnino consequi confusionem et commixtionem factam esse, utpote imminuta et subtracta hominis natura. Neque enim imminuta, neque, ut aiunt, subtracta est; sufficit enim ad plenissimam demonstrationem huius, quod homo factum sit, dicere: « incarnatum est ». Hoc enim si reticeremus, haberet locum aliquem eorum calumnia; cum vero necessario additum sit, ubinam imminutionis vel subtractionis modus [2]? »

Te autem similiter mordebunt etiam verba sacri praeconis et apostoli et episcopi ecclesiae Romanorum, Iulii, ubi adducentur. Tales enim sunt morsus spirituales canum rationalium, qui ex immundis gentibus * et velut ex canibus Dei gratia designati sunt et gregi Christi Salvatoris nostri caute invigilant et adversus omnem vocem alienam atque mendacem latrant: quorum lingua, cum tempus posceret, in generosis confessionis martyrii sanguinibus saepe intingebatur, ut psallit David [3], cumque sic honoraverint divinum sanguinem, qui nos omnes a peccato redemit, revera [4] intinctae sunt [5] et evectae sunt ad imitationem illorum octo morsuum, quos sapiens Michaeas praedixit [6], suscitatorum adversus spiritualem Assyrium, *id*

* p. 94.

1 Habac., ii, 6-7. — 2 *P. Gr.*, LXXVII, 241. — 3 Cfr *Psalm.* lxxvii, 24. — 4 πρὸς ἀλήθειαν. — 5 In margine: « intinctae sunt, sicut securis, ab ore cuius ferrum cecidit ». Cfr IV *Reg.*, vi, 5. — 6 Mich., v, 5.

est, adversus Satanam. Haec autem erant utique ora divinorum apostolorum, qui diei octavae virtutem propter resurrectionem significaverunt, illamque *resurrectionem* confirmarunt testimoniis prophetarum, qui Israel paverant et per septimam et sabbaticam umbram legis ducti fuerant, atque evangelicam etiam institutionem octavae et dominicae *diei* per legales typos praedidicerant; a quibus *apostolis* cum, iuxta Salvatoris verbum, alligatus esset fortis [1], id est, Satanas, qui nos invaserat, ablata sunt vasa eius a Iudaeis et a gentibus; exsurrecturos esse enim in eum septem pastores et octo morsus hominum praedixit Michaeas [2].

Sed tempus est audire morsus Iulii, qui, in oratione cui titulus: « De unione in Christo corporis ad divinitatem Dei Verbi », sic scripsit: Iulius: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente, particularem operationem Verbo quoque adimplente in totum cum divina perfectione; * quod in homine communi ex duabus partibus imperfectis fit, et unam naturam perficientibus unoque nomine designatis, quia caro etiam totus vocatur, non ablata sic anima, totusque anima vocatur, non ablato corpore, quamvis aliud quid sit praeter animam. Deus ergo est inhumanatus, Dominus sublimior humana generatione etsi genitus est ex muliere; et Dominus est, etsi conformatus ad servos; et spiritus est, etsi caro quoque secundum unionem carnis demonstratus; non est homo, ut Paulus dixit [3], licet homo ab ipso praedicetur [4] et, ut absolute dicam, invisibilis Deus visibili corpore transformatus, increatus Deus creato involucro manifestatus, exinaniens quidem seipsum secundum formam servi, minime vero exinanitus neque mutatus neque imminutus secundum divinam substantiam: nulla enim mutatio habetur circa divinam naturam, neque minuitur neque augetur [5]. »

* p. 95.

Quae cum audiveris, numquid ad eum, qui *haec* scripsit,

1 Cfr Matth., xii, 29; Luc., xi, 22. — 2 Cfr Mich., v, 5. — 3 Cfr *Gal.*, i, 1. — 4 I *Tim.*, ii, 5. — 5 Lietzmann, *Apollinaris von Laodicea*, t. I, p. 187-188.

proferre voles ridiculas quaestiones tuas, eumque acriter interrogare, num idem secundum substantiam factum sit creatum ac increatum et visibile *idem* ac invisibile? Attamen, — quod ridiculis interrogationibus tuis satisfaciebat, — audieras quomodo, in Christo, hoc quidem increatum, illud vero creatum in coniunctione et in unione proclametur atque agnoscatur, una ex utroque natura subsistente, unaque hypostasi Dei Verbi incarnata. Non enim unius eiusdem substantiae *sunt*, quemadmodum tu in tuis calumniis inebriatus deliras et teipsum annumerans iis, de quibus divinus inter prophetas Amos dixit: « Et vinum bibebant ex calumniis in domo Dei sui [1] ». Haec est enim gravissima ebrietas, *scilicet* quod in domo * Dei et in Ecclesia ea delires, quibus pro fidelibus iisque, qui in talibus non sunt exercitati, tentator a sana fide *eos avertens*, quantum potes, fias. Si vero puerilibus institutionibus tuis aliquid enarrares [2], omnino silentium tenerem, iuxta sapientissimi Pauli consilium dicens: « Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare [3]? »

* p. 96.

CAPUT OCTAVUM

Quod idem est, apud doctores orthodoxiae, tum confiteri unam naturam Dei Verbi incarnatam, tum dicere Christum *esse* unam naturam, id est, unam hypostasim, ex divinitate et ex humanitate absque confusione compositam.

At, quia sollicite curas ut ecclesiastica dogmata illudas et ad divisionem unius indivisibilis Christi in duas naturas tibi profecturum esse putasti interrogare nos, qui recte sentimus, confiteamurne in eo creatum et increatum apparere, ad te lacte dirigimus apostolica verba Iulii, qui dixit: Iulius: « Proclamatur in eo hoc quidem creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente [4]. » Etenim ex increato et creato, et ex coniunctione utriusque et unione unam absque confusione naturam confiteri, idem est ac unam naturam Dei Verbi incarnatam dicere.

1 Am., ii, 8. — 2 Id est, aliquid pertinens ad artem grammatici. — 3 I *Cor.*, v, 12. — 4 Lietzmann, t. I, p. 187.

Sic enim invenimus etiam sanctum Cyrillum scripsisse adversus Andreae reprehensionem octavi anathematis verba, quae supra[1] apposui; quae sic se habent: CYRILLUS: « Etenim cum de una persona et natura * seu hypostasi una sermo, considerans ea ex quibus est vel componitur naturaliter, subiungit *praepositionem* σύν vel μετά, servat etiam sic rei significatae quod unum sit secundum compositionem, minimeque eam in duo dividi definit[2]. » Eundem autem produxi[3] etiam in libro *cui titulus:* « Quod unus est Christus » sic dicentem: CYRILLUS: « Unum ergo Filium esse dicimus unamque naturam eius, etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas; concipitur autem a nobis haud secus quam hoc modo Deus simul et homo[4]. »

Haec autem dixi, non quasi ad destructionem negationemque inspiratae vocis Patrum, quae confiteri docet unam esse naturam Dei Verbi incarnatam; — hac enim magis, ut ita dicam, quam halitu indigemus, eam velut sanctam et tutam et firmam tenentes; — sed ut auditoribus notam facerem doctorum concordiam, *scilicet* idem esse iuxta illos et dicere unam naturam Dei Verbi incarnatam, et confiteri Christum unam *esse* naturam compositam, vel asserere unam naturam Filii, qui factus est in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Haec considerare debuisses, o strenue, si quoad creatum et increatum, quae ad unionem naturalem concurrerunt, voluisses subtilis oculi visu confusionis simul atque divisionis absentiam cognoscere; itemque haud negligenter *debuisses* sapientis Cyrilli voces legere, quae quidem in secunda ad Succensum epistula reperiuntur, significant autem quomodo unio ineffabilis, et a confusione sit libera, et ostendat quidem iis, qui subtilibus * mentis oculis subtilique tantum contemplatione ipsam considerant, duo esse ea, quae congregata sunt, dualitatem vero statim expellat, eo quod cum diversitate eorum, quae unita sunt, concurrerit unum illud, quod secundum compositionem absolutum est, ita ut ea, quae intellectus phantasia tantum separata sunt, iam non appareant duo, propterea quod non proprie neque singulariter unumquodque subsistit, sed quia ex ambobus immutatis, etiam ubi composita sunt, manentibus unam naturam unamque hypostasim *intellectus* conspicit. Hae autem sunt voces: CYRILLUS: « Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, animae quidem unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non ponimus seorsum naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[1]. »

[1] Cfr supra, p. 55. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 352. — [3] Cfr supra, p. 21. — [4] *P. Gr.*, LXXV, 1289.

Sic igitur tu quoque de Emmanuele, iuxta virtutem exempli appositi, considera ea, ex quibus est et componitur; et duo prorsus videbis divinitatem et humanitatem *esse*, et meris cogitationibus separans *eas* subtilibusque quodam modo contemplationibus atque phantasiis intellectus differentiam apprehendens, non seorsum pones naturas: non enim separate et proprie, neque in singularibus subsistentiis propriis[2] subsistunt. Igitur duo illa, ex quibus unio *habetur,* absque confusione composita solo intellectu separantur. Etenim minime mutata sunt, neque duo etiam in hypostasibus sunt, sed ex ambobus una absolvitur hypostasis, et una persona, unaque natura Dei Verbi incarnata. *

Quomodo ergo, cum iussus sis meris cogitationibus separare id, quod indivise unitum est, et subtilibus quodam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendere, in dualitate remanes duasque dicis naturas post unionem, sicut et synodus chalcedonensis, cuius novus et voluntarius patronus nobis apparuisti?

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] ἐν μοναδικαῖς ἰδιοσυστασίαις, vel ἐν μονάσιν ἰδιοσυστάτοις.

CAPUT NONUM

Reprehensio impiorum, qui effatum Gregorii thaumaturgi improbans duas naturas dici atque definiri unum Christum, tanquam fictum calumniantur.

Neque Gregorio thaumaturgo obtemperasti, decernenti et statuenti manifesto τὸ confiteri duas naturas esse Christum convertere Trinitatem in quaternitatem, etsi illius voces dignas quae cum apostolorum *vocibus* ponerentur iudicavit sapiens in divinis Basilius, in iis quae de Spiritu sancto ad Amphilochium scripsit [1]. Etenim dum nobis exponit et evolvit et pedetentim pergit explicare verbum sanae fidei, — quod *opus* ideo ἡ κατὰ μέρος πίστις inscripsit, — iste *sanctus,* qui nomen ad veritatem sortitus est, quia divinorum miraculorum, — adde vero et dogmatum, — *charismate praeditus* erat, — haec dicit: Gregorius neocaesariensis [2]: « Et est Deus verus, carnis expers in carne manifestatus, perfectus vera et divina perfectione, non duae personae neque duae naturae; neque enim quatuor adorare dicimus, * Deum et Filium Dei *et* hominem et Spiritum sanctum. Ideo etiam anathematizamus eos, qui ita impie agunt, *eos* qui hominem in divina doxologia ponunt. Nos enim dicimus hominem factum esse Dei Verbum propter nostram salutem, ut similitudinem caelestis acciperemus et deificaremur ad similitudinem illius secundum naturam veri Filii Dei, secundum carnem vero Filii hominis Domini nostri Iesu Christi [3]. »

* p. 100.

Et haec quidem praeco veritatis et apostolicus doctor; comperio autem Tuam Prudentiam, sicut nonnulli narraverunt mihi, ex multa divinorum dogmatum eruditione [4] altercari atque dicere haec verba non esse Gregorii, sed esse adulterata et immutata. Et hoc signum das, nempe reperiri quidem in hac expositione fidei per partes consubstantialem Patri esse Filium [5], neminem autem ante CCCXVIII sanctos Patres unquam hac voce usum esse. Quid ergo ad hoc dicemus? Primo

1 Cfr *P. Gr.*, XXXII, 205. — 2 In margine ad locum laudatum: « Ex fide, quae in visione revelata est Gregorio thaumaturgo ». — 3 Lietzmann, t. I, p. 178-179. — 4 πολυμάθεια. — 5 Cfr Lietzmann, t. I, p. 176 et 180.

quidem decuisset te, laudationem, id est, vitam eius a sancto Gregorio, episcopo nysseno, conscriptam legentem, atque ibi invenientem fidem ipsi thaumaturgo ex lingua Iohannis evangelistae et theologi revelatam, — in qua habetur: « Neque creatum quidquam neque servum est in Trinitate, neque adventitium, quod prius quidem non erat, posterius autem introductum est [1] » — clare agnoscere eum, qui haec didicerat, cum in revelatione ipsi apparuisset, cum evangelista, etiam Virgo deipara et iussisset fidem ipsi dici, ubi edocturus erat Pontum et Cappadociam atque, per illas * *regiones,* universum mundum, sanctam Trinitatem et mente tenuisse et dixisse esse consubstantialem. Quomodo enim non promptus *ad hoc profitendum* fuisset is, qui creatum quidquam aut adventitium in ea *Trinitate* non concedebat et consequenter sciebat et expresse ab iis, qui ad ipsum locuti fuerant, audierat Trinitatem esse perfectam, gloria et aeternitate et regno neque divisam neque dissidentem? Deinde, vade, si velis, in praedictas regiones et ab ecclesiis, quae ibi sunt, disces expositionem fidei per partes, cum caeteris magni Gregorii doctrinis, cognosci.

* p. 101.

Vanum autem istud artificium tuum expressis verbis manifesto irritum fecit sanctus Athanasius iis, quae ad episcopos in Africa *constitutos* scripsit; quae sic se habent: Athanasius: « Episcopi vero non sibi invenerunt voces, sed a Patribus testimonium habentes, sic scripserunt. Etenim prisci episcopi, ante annos prope centum triginta, magnae Romae nostraeque civitatis, culpaverunt eos, qui Filium opus esse minimeque Patri consubstantialem dicerent [2]. »

Hoc etiam sciebat Eusebius, qui episcopus Caesareae fuit. Qui primo quidem haeresibus Arianorum opitulabatur, postea vero subscripsit nicaenae synodo. Scripsit enim concivibus suis, asserendo: « Scimus etiam quosdam episcopos illustres et eruditos inter antiquos itemque scriptores de divinitate Patris et Filii voce consubstantialitatis usos esse [3]. »

Quomodo igitur, dum adversus tam manifesta dolose agis, putas te evasurum a iudicio Dei et ab eo, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, ut ait Paulus [4]? Aut neque David

1 *P. Gr.*, XLVI, 913. — 2 *P. Gr.*, XXVI, 1040. — 3 *P. Gr.*, XX, 1541. — 4 Cfr I *Cor.*, III, 19.

audisti adversus te psallentem * et de tui similibus dicentem: « Dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob[1] »; ad quos insuper dicit: « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt[2]. »

Attamen, demus haec non esse Gregorii, sicut tu dicis. Cur enim his tantum verbis adiuvamur? Nonne his affinia et concordantia atque similia *effata* prius apposuimus, quae dixerunt Cyrillus et Iulius, viri apostolici et doctores eximii? Quodnam igitur est auxilium *quod* tibi *oritur* ex machinationibus et ex commentis persuasibilibus, imo non persuasibilibus, cum a multis testibus eadem iisdem sententiis et verbis dicentibus redarguaris?

CAPUT DECIMUM

Disputatio adversus eos, qui praesumunt impie machinari atque dicere idem esse unum Christum dicere « unam naturam Dei Verbi incarnatam » et « duas naturas unitas », ex apostolicis verbis Athanasii.

Ad quos accedat et lucida ecclesiae Alexandrinorum stella, Athanasius, de quo, ut puto, sortem non ducerent apostoli, si sibi proponerent ut coronae suae duodenae aliquem annumerarent: neminem enim invenirent, qui ipsi compararetur, ut praestantiorem sorte cognoscerent, ut fecerunt de Mathia et Ioseph, qui cognominabatur Iustus, cum vellent implere gradum Iudae, qui ceciderat[3]. Tam copiose et abundantur eodem Spiritu ac ipsi vivebat, et quotidie moriebatur[4], mortificationem Iesu in se ferens[5] et quiescere non patiens, * proprium quidem sanguinem facile negligens, sed a verbo pietatis nunquam praeter diligentiam dimittens iota unum aut unum apicem, iuxta verbum Domini[6], cum reputaret fore ut hoc caelorum regnum ante ipsum clauderet[7]. Quapropter etiam iure optimo Gregorius theologus eius dogmata legem orthodoxiae vocavit[8].

Ille ergo talisque pietatis praeco, in scriptis de incarnatione Verbi, sic scripsit: ATHANASIUS: « Confitemur eum esse Filium

[1] *Psalm.* XCIII, 7. — [2] *Ibid.*, 11. — [3] Cfr *Act.*, I, 15-26. — [4] Cfr I *Cor.*, XV, 31. — [5] Cfr II *Cor.*, IV, 10. — [6] Cfr MATTH., V, 18. — [7] Cfr MATTH., XXIII, 13. — [8] *P. Gr.*, XXXV, 1128.

Dei et Deum secundum spiritum, hominis autem Filium secundum carnem: non duas naturas unum Filium, adorandam unam et alteram non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et una adoratione cum carne eius adoratam; neque duos Filios, unum quidem Dei Filium verum et adorandum, alterum autem ex Maria hominem non adorandum, per gratiam Dei Filium factum, sicut homines, sed illum ex Deo, ut dixi, unum Dei Filium et Deum, ipsum, non autem alium, etiam ex Maria natum esse secundum carnem in fine dierum, sicut Dei genetrici Mariae dicenti: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? », dixit Angelus: « Spiritus sanctus veniet super te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei[1]. »

Quid posset aliquis ostendere clarius istis definitionibus legibusque manifestis et indubitatis, quae definiunt proclamandum et adorandum esse unam naturam Dei Verbi incarnatam, cum prius absolute reprobando decrevissent: « Non duas naturas unum Filium, adorandam unam et unam non adorandam ». Etenim dualitas solvit unionem atque omni * ex necessitate natura humana in id redigitur, ut non adoretur, cum dualitatis sectione separatur a Deo Verbo secundum naturam adorando.

« Sane, dicet adversarius; sed unitas dico naturas! Idem autem est « duas unitas *naturas* » et « unam compositam *naturam* » dicere. » Sed attende, o bone, quomodo Doctor absolute decreverit: « Non duas naturas unum Filium ». Etenim unio secundum naturam et secundum hypostasim id efficit, ut dicamus « unam naturam Dei Verbi incarnatam », non autem, per meram verborum persuasionem[2], « duas naturas unitas ». Nam quomodo ex coniunctione inconfusa ex duabus naturis *effecta*, id unquam sequeretur, ut rursus « duas *naturas* » diceremus? Hoc nullo pacto fieri potest, et est prorsus impossibile. Si enim hoc possibile esset, sapiens Athanasius non dixisset sine ulla exceptione: « Non duas naturas unum Filium », sed manifesto dixisset: « Non duas naturas separatas unum Filium, sed duas naturas individuas et unitas ». Non sunt au-

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 25. — [2] πιθανολογία.

tem, non sunt haec *verba Athanasii:* noverat enim, habens Christum in se loquentem, non duo esse eum, qui ex duobus compositus est, sed eum unum esse secundum hypostasim. Etsi, ubi subtili tantum contemplatione intellectus noster separat, duas illas *res*, quae ad invicem concurrerunt, videt divinitatem et humanitatem: attamen, statim atque cogitatione separamus et agnoscimus eam secundum naturam differentiam eorum, quae in unum coniuncta sunt, concurrens et accedens unionis cogitatio unum, qui ex duobus *compositus est*, ostendit, neque intellectum iam in separatione secundum cogitationem *facta* manere sinit.

Et hoc est, quod sanctus Cyrillus ad Nestorium, in tomo secundo adversus blasphemias eius, dicit: « Desine * dividere naturas post unionem [1] », id est, post cogitationem unionis. Cum enim, ait, subtili tantum separationis oculo scias, o tu, duo esse ea, quae coniuncta sunt, — unio enim haec est: duarum aut multarum rerum coniunctio; nam dicere unum sibimet uniri, stultitia est, — noli iam duo etiam secundum hypostasim imaginari: una enim ex duobus est hypostasis unaque natura Verbi incarnata. Si enim sivisset, post unionis cogitationem duas naturas unitas proclamari vel dici, sanctus Cyrillus non dixisset, in secunda epistula ad Succensum: CYRILLUS: « ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [2] », cum hominem nostri similem assumeret in exemplum ineffabilis unionis, quae in Emmanuele agnoscitur. Sed neque permagnus Athanasius sine ulla exceptione, ut antea diximus, decrevisset: « Non duas naturas unum Christum [3] ». Oportet enim scire tantum differentiam eorum, quae unita sunt, sed repudiare, post unionis cogitationem, sectionem dualitatis. Sic enim dicit alicubi sanctus Cyrillus, in tomo secundo eorum, quae scripsit adversus blasphemias Nestorii: CYRILLUS: « Humanitatis enim et divinitatis maximam esse distantiam et differentiam ego quoque concedo: nam diversa sunt quod ad rationem modi essendi [4] pertinet, et nihil inter se similia videntur ea, quae his nominibus indicata sunt.

* p. 105.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 92. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [3] *P. Gr.*, XXVIII, 25. — [4] κατὰ τὸν τοῦ πῶς εἶναι λόγον.

At ubi nobis profertur in medium illud circa Christum mysterium, unionis ratio non ignorat quidem differentiam, excludit autem divisionem: non quod confundat aut misceat inter se * naturas, sed quod sanguinis et carnis particeps factum Dei Verbum unus rursus Filius etiam hoc modo intelligitur et appellatur [1]. »

* p. 106.

CAPUT UNDECIMUM

Quod oportet confiteri inter se diversas secundum substantiam divinitatem et humanitatem, ex quibus unus Christus est, atque fugere sectionem dualitatis post unionem; quodque idem non est dicere unum Christum « ex duabus naturis » atque impie dicere eum « in duabus naturis » cognosci.

Etenim, usque ad considerandam differentiam secundum naturam eorum, quae in unum congregata sunt, subtili intellectu separare licet duo illa, ex quibus naturalis unio absoluta est; amplius autem immorari *separationi*, in duas personas nos educit atque in duos filios. Quos cum Nestorius confiteretur, non recusabat duas naturas exhibere unitas. Et statim vide sapientem prudentemque Cyrillum! In oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium sic dicit: CYRILLUS: « Non distinguentes quid sit Verbi et carnis natura, neque in solis ad hoc *pertinentibus* differentiis consistere volentes: neque enim sic a vera sententia aberrarent, cum eadem carnis atque divinitatis natura non sit; sed alterum quidem, tanquam hominem, proprie et singillatim statuentes, alterum autem ut secundum naturam et veritatem Deum appellantes, etsi volentes se esse christianos [2]. »

Igitur, usque ad agnoscendam differentiam eorum, quae coniuncta sunt, concedit ut aliquis in subtilibus contemplationibus separet ea, quae unita sunt. *Si* quis autem permaneat in dualitate post unionem, ita ut etiam hunc secundum hypostasim unum duas *esse* naturas dicat, eo consilio * ut hominem singillatim et Deum seorsum statuat: cohibet *Cyrillus* eos, qui sic confitentur. Nam « unio differentiam quidem non ignorat, divisionem autem excludit », sicut didicimus Doctorem

* p. 107.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 85. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 1141. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 85.

dixisse[1]. Divisionem vero quomodo fugiemus? Ubi « ex duabus *naturis* » dicemus, non autem « duas *naturas* » post unionem. Iterum enim audivimus[2] eum dixisse: « Desine dividere naturas post unionem [3] ». In ipsa autem oratione prosphonetica dicit: CYRILLUS: « Unum eundemque Filium confitentes, ex duabus rebus in unum quid ex duobus ineffabiliter exhibitum, nempe secundum altissimam unionem, non autem secundum naturae conversionem [4]. » Ubique enim Emmanuelem praedicat *esse* « ex duabus naturis », nullo tandem loco « in duabus *naturis* », ut diligenter decretoria sententia determinatum est a Chalcedonensibus: « hi enim sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes », sicut etiam quidam ex apostolis scribens dicit[5].

Sin autem minus, ostende, o sapientissime grammaticorum ubi hoc dixerit eximius Cyrillus, praedicator qui in hac quaestione valde versatus est et sophismata, quae in *verbis* dissecantium unum Christum *reperiuntur*, redarguit, *formulamque* « ex duabus *naturis* » ubique protulit, tanquam dissipantem duplicitatem atque id efficientem, ut una agnoscatur natura Dei Verbi incarnata et una hypostasis unaque persona.

Quomodo ergo, in lamentabili libello tuo, illam *formulam* tanquam confessam sursum deorsum versas, ipsumque sanctum Cyrillum exhibes, sic metum simplicioribus iniciens, et de ipso haec dicis: GRAMMATICUS: « sed manifesto docet nullam prorsus haberi differentiam sive dicat quis unam naturam Dei Verbi * incarnatam, sive in duabus naturis inseparabiliter unitis confiteatur Emmanuelem [6] »?

*p. 108.

Ostende igitur, o maxime audax et inerudite, *Cyrillum* « in duabus naturis », definivisse Emmanuelem. Aut scito teipsum clare ab apostolo Paulo ad eos adscribi, de quibus ad Timotheum scribens dixit: « Non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant[7] ». Sed neque hoc te fugiat: Nestoriani scilicet, assectatores tui atque naturarum post inexplicabilem unionem, duplicitatis morbo laborantes, sicque insecabilem et indivisibilem secantes, adversus veritatem armati

[1] Cfr supra, p. 83. — [2] Cfr supra, p. 82. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 92. — [4] *Ibid.*, 1200. — [5] IUDA, 19. — [6] Locum non repperi. — [7] I *Tim.*, I, 7.

multis commentis et dolis librum confecerunt, rati illum malae sententiae ipsorum patrocinaturum esse. Quem *librum* in ducenta quadraginta quatuor capita digesserunt, ex omnibus, ut ita dicam, sancti Cyrilli scriptis locos excerpentes eosque in particulas impie dividentes, in quibus hanc vocem, dico *formulam* « in duabus naturis », verbis Doctoris contexuisse convicti sunt, cum undique *testimoniorum* expertes essent et ideo ad commenta impudentesque calumnias procederent, sicut et tu contendis sapientis Cyrilli esse hanc vocem, quae ipsius non est. Sic autem se habet confictum caput ex prosphonetico ad piissimum imperatorem Theodosium: CYRILLUS: « Estque sicut in divinitate perfectus, ita et in humanitate perfectus, non ex sola divinitate et carne in unum Christum et Filium et Dominum compositus, sed in duobus perfectis, — divinitatem dico atque humanitatem, — in unum eundemque mirabiliter unitus [1]. » *

*p. 109.

Igitur, illorum quidem fictio, quae *locum* adulteravit, procurans et propugnans *formulam* « in duobus », haec est; quae clamat, ut ita dicam, [et] vocem edit atque impietatem simul et ineruditionem redarguit eorum, qui per vim fictionem scripserunt. Defensionem autem feci, non quod agnovissem sanctum *Cyrillum* ullo modo defensione indigere, sed sermonem eius armavi adversus calumniatores et falsarios, qui sententiam et dispositionem sermonis, ut potuerunt, claudicantem effecerunt, cum multos libros eius ideo adulterassent, ita ut ne volentibus quidem facile esset in regia civitate tunc genuinum librum palam invenire. Verum, ea quae a me ad istud caput scripta sunt sic sonant: EX PHILALETHE. DEFENSIO AD HOC *caput:* « Hic iterum librum genuinum manifesto mutaverunt. Etenim *verba* « ex duobus perfectis » mutaverunt in *verba* « in duobus perfectis ». Et primum quidem [2], omnes, ut ita dicam, libri, qui huius falsarii et eorum, qui ipsi similes sunt, manum vitarunt, maleficium redarguunt, quia ipsa etiam sermonis dispositio exsurgit adversus calumniatorem. Nam si fuisset *in textu:*

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXVI, 1168; attamen corruptam textus formam, in qua, ut hic apponitur, habebatur formula ἐν δυοῖν τελείοιν, non repperi. — [2] καὶ μάλιστα μέν.

« in duobus perfectis », non dixisset *Cyrillus:* « non ex sola divinitate et carne in unum Christum et Dominum et Filium compositus », sed contra: « in sola divinitate et carne ». Et *vox* quidem « compositus » manifesto ex duobus unum exhibet; *formula vero* « in duobus » duorum quorundam singillatim et separate subsistentium praebet indicationem. Redarguitur autem calumnia ex iis etiam, quae sanctus Cyrillus pergendo dicit: SANCTI CYRILLI, POST * PAUCAS IPSIUS CAPITIS SENTENTIAS, EX IPSA ORATIONE PROSPHONETICA: « Et sane divinus Paulus ea, quae multum a consubstantialitate distant et immensa differentia *a se mutuo* removentur, divinitatem et humanitatem, in unum secundum dispensationem congregans, et ex ambobus unum Christum et Filium et Deum significans, « Paulus, servus Iesu Christi », ait [1], « vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei [2] ». Iis autem, qui Nestorii impietati opitulantur, adversari formulam « ex duobus », utpote unionis hypostaticae quidem indicativam, sectionis autem in duo destructivam, — qui simulate tantum dicunt unionem duarum naturarum, ut dilectionis unionem sibi inveniant, — ex immundis Nestorii verbis apparet: IMPII NESTORII; EX EPISTULA AD THEODORETUM, IN QUA REPREHENDIT EA, QUAE A SANCTO CYRILLO AD ORIENTALES SCRIPTA SUNT: « Quid enim dicit: « quamvis non ignoretur differentia naturarum, ex quibus ineffabilem unionem factam esse dicimus [3]? » Illud rursus « ex quibus », quasi de partibus invicem respondentibus, circa dominicas naturas dicit, quae in unam evaserunt. Dicendum enim ipsi fuisset non « ex quibus » sed « quorum » ineffabilem unionem factam esse dicimus. Non enim ex naturis, sed ipsarum naturarum est ineffabilis unio [4]. »

Igitur haec quidem tunc, ad eos qui tuis similia confingebant et calumniabantur, defensorem agens scripsi; eadem autem nunc scribuntur adversus mendacium tuum et ineruditam audaciam tuam; quae clare auditoribus ostendunt vos nunquam desistere, erroris spiritum habentes, huc illuc insilire sicut scorpiones et veneficum calumniae aculeum sanis verbis * divi-

[1] *Rom.*, I, 1. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 1169. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [4] LOOFS, *Nestoriana*, p. 197. Locum operis Severi non repperi.

nisque dogmatibus infigere. At nullo damno afficietis eos, qui eruditi sunt, quique ea, quae ad divina dogmata pertinent, non ignorant.

CAPUT DUODECIMUM

Demonstratio ostendens illam confessionem: « Christus, post unionem, est duae naturae indivisae » opponi huic confessioni: « Una *est* natura Filii incarnata », et reprehensio corruptae et impiae interpretationis verborum sapientis Cyrilli.

Quomodo enim ausus es, cum indoctum calumniae calicem miscuisses, imo audacem impietatem non mixtam bibisses, de sancto Cyrillo haec scribere: GRAMMATICUS: « sed manifesto docet nullam prorsus haberi differentiam, sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis inseparabiliter unitis confiteatur Emmanuelem [1] », cum Doctor, qui calumnia afficitur, sole, si dici possit, clarius et fulgentius et lucidius scripserit, in secunda epistula ad Succensum, adversari assertionem duarum naturarum indivisarum confessioni unius naturae Dei Verbi incarnatae? Adducit enim velut ex propositione haereticorum, qui eadem ac tu sentiunt, in ipsa epistula, haec inerudite per meram verborum persuasionem iactata, quae quasi in stela ipsis verbis sic inscribit [2]: CYRILLUS: « Comperio autem aliud esse praeterea quod quaeratur. Nam qui nuda carne Dominum passum esse dicit, irrationabilem et non spontaneam facit passionem. Si quis autem dixerit eum cum anima intelligente passum, ut passio sit spontanea, nihil prohibet quominus dicat eum natura humanitatis passum esse. Quod si * verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? Itaque, si quis dicit « Christo igitur passo pro nobis carne [3] », nihil aliud dicit nisi « Christo igitur passo pro nobis in nostra natura [4] ».

Ecce quam manifesto propositio duas naturas dixit sine divisione subsistentes, Christumque in illis *existentem* quasi ex ordine [5] confitetur in nostra natura passum. Attende igitur

[1] Locum non repperi. — [2] στηλιτεύειν. — [3] I PETR., IV, 1. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [5] In margine: « consequenter ».

quomodo solutio ipsius propositionis decernat illam assertionem: « in duabus naturis indivisis » luctari et e diametro pugnare cum hac confessione: « una natura Dei Verbi incarnata », et adversus eos, qui eadem stulta verba frequentant, stare. Idemque saepissime clamat, neque unquam fatigatur. Quid enim dicit: CYRILLUS: « Adversatur rursus et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere [1]. » At Grammaticus, cum quodam loco sub fine istius lamentabilis libelli has sententias apposuisset, sic scripsit, — nam impietatis fabulas disseminavit, ut correptionem effugeret, et eadem multoties mandit et quasi fenum ut taurus comedit, sicut divina Scriptura quodam loco dicit [2], ea quae nos simul possumus colligare et tanquam vanam paleam colligere et flamma persuasibilium [3] confutationum comburere: GRAMMATICUS: « Dicit enim [4] *Cyrillus* « Conantur ubique duas naturas subsistentes ostendere », evidenter, duas naturas separatas [5]. » *

* p. 113.

Quis non fleret de viro tam audaci? Ad insaniam devenit voluntariam, cui proinde nulla est remissio! Cum enim Doctor prius apposuerit propositionem dicentium duas subsistere naturas indivisas et adversus eos contendendo dixerit: « Conantur ubique duas naturas subsistentes ostendere [6] », Grammaticus dicit: GRAMMATICUS: « Evidenter, *duas naturas* separatas [7] ». O mirandam explicationem! Ita etiam nostra *verba* subtiliter explicasti. Et cum ad Nephalium scripsissem: « Nos unum quid sumus unaque natura utrumque simul [8], id est, anima et corpus: hic enim est homo, unus secundum naturam, id est, secundum hypostasim, qui idem agnoscatur secundum substantiam [9] », violenter et audacter et stulte *verba mea* tractasti. Et cum sanctus Cyrillus ad eos, qui instabant: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? [10], ipsis verbis dixerit eos adversari iis, qui dicunt unam naturam Filii

1 *P. Gr.*, LXXVII, 245. — 2 HIOB, XL, 10.. — 3 ἀποδεικτικός. — 4 Sic restituenda est series verborum; cfr huius editionis t. II, p. 262, et t. III, p. 5. — 5 Locum non repperi. — 6 *P. Gr.*, LXXVII, 245. — 7 Locum non repperi. — 8 τὸ συναμφότερον. — 9 Locum non repperi. — 10 *P. Gr.*, LXXVII, 244.

incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conari duas naturas subsistentes ostendere [1], audacter opponis eum quasi adversus eos, qui naturas separatas dicunt, haec scripsisse, et per vim delere vis ea, quae scripta sunt, ope non scriptae et temerariae explicationis.

Merito nunc quoque clamet Isaias: « Stultus stulta loquetur et cor eius vana cogitabit, ut perficiat iniquitatem et loquatur errorem ad Dominum [2] ». Dicat autem cum propheta etiam sapiens quidam: « Explicatio stulti quasi onus in via [3] », et: « Super mortuum plora: luce enim privatus est; et super fatuum plora: sapientia enim privatus est [4] ». Quomodo enim haec non sint lacrymis digna: quod *scilicet* ii, qui in explicanda pueris ira apud Homerum *cantata* [5] omnem aetatem triverint, minimeque forsan feliciter rem gesserint, * cum ineruditionis pallio, illotis pedibus [6], ut dicitur, irruant in divina eaque perperam explicent [7], imo doctorum pietatis doctrinas calumnientur, et non scripta tanquam scripta dictaque ab illis loquantur, scripta autem tanquam tacita praetermittant?

* p. 114.

Atque utinam praetermitterent et iis, quae manifesto apposita sunt, contraria non adderent, ope calumniosarum et audacium et impudentium explicationum! At vero, iuxta proverbium, « si verberaveris stultum, in medio concilii probris illum afficiens, non auferes stultitiam eius [8] ». Cum enim sapiens Doctor in iis, quae allegata sunt, dixerit adversari assertionem duarum naturarum indivisarum confessioni unius naturae Dei Verbi incarnatae, Grammaticus, novus reconciliator et mediator oppositorum verborum, rursus dicit: GRAMMATICUS: « Papae, audaciam adversariorum! Si enim solummodo duas naturas diceremus, minimeque alteram etiam confessionem adderemus, *nempe* unam esse naturam Dei Verbi incarnatam, causam forsan haberet inculpatio eorum [9]. »

Quid faciemus, o sapiens? Idem enim de impudenti tua concertatione [10] recitabo, quod et sanctus Cyrillus, qui decrevit

1 Cfr *ibid*, 245. — 2 ISAI., XXXII, 6 — 3 *Eccli.*, XXI, 16. — 4 *Ibid.*, XXII, 11. — 5 Primo Iliadis versui alludit. — 6 ἀνιπτόποους. — 7 παρεξηγεῖσθαι. — 8 *Prov.*, XXVII, 22. — 9 Locum non repperi. — 10 Haud certa mihi est translatio syriacae locutionis; in textu graeco forsitan legebatur vox ἀμφιλογία.

duas istas formulas invicem adversari, *scilicet* τὸ dicere duas naturas individuas et unitas post unionem, et τὸ opinari atque confiteri unam esse naturam Dei Verbi incarnatam; eosque, qui duas *naturas* dicunt, significare vanum et inutile esse unam *naturam* confiteri. Etenim unionem eumque ex duobus unum, per dispensatoriam * inconfusamque coniunctionem, dualitas solvit. Nam si liceret Christum in duabus naturis individuis, ut vos dicitis, post inexplicabilem unionem confiteri, non ut sola contemplatione separaremus ea, ex quibus unio *facta est*, sanctus Cyrillus edixisset, neque ut intelligeremus duo quidem esse ea, quae congregata sunt, unionis autem cogitatione ad *formulam* « unum ex duobus » curreremus, iamque post unionis cogitationem « duo » minime diceremus. Ad te enim Doctor manifesto clamat, ut iam supra dictum est: « Desine dividere naturas post unionem [1] ». Nam eos, qui secundum hypostasim separantur, verbi gratia Petrum et Paulum, nemo dicit in contemplatione tantum separari: separantur enim ambo in hypostasibus, et unusquisque eorum in propria hypostasi est, et singularitatis diversitate perfecte atque seorsum inter se distant. Unum autem hominem, puta Petrum, ex anima corporeque subsistentem et in una hypostasi exsistentem, in sola contemplatione separat quis, cum considerat ea, ex quibus est, soloque intellectu assequitur duorum quorumdam factum esse naturalem concursum ad constitutionem unius viventis; at ubi meditatur unionem simul cum separatione, quae in subtili cogitatione apparuerat, iam non potest, post cogitationem ipsius unionis, illa duo, quae apparuerant, duo vocare: una enim hypostasis ex duobus, non autem omne singulare in proprietate subsistentiae subsistit [2], ut duo post unionem numerentur.

* p. 115.

Et vide quam manifesto haec ostendant verba Doctoris: Cyrillus: « At eos fugit ea omnia, quae non sola contemplatione separari solent, * prorsus etiam in perfectam diversitatem singillatim seorsumque a se distare. Sit autem nobis in exemplum rursus homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, unam quidem animae, alteram autem cor-

* p. 116.

1 *P. Gr.*, LXXVI, 92. — 2 πᾶν μοναδικὸν ἰδιοσυστάτως ὑφέστηκε.

poris. Sed meris cogitationibus discernentes et subtilibus contemplationibus et phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [1]. »

Quid manifestius esse posset istis liberalibus verbis, quae concedunt quidem ut hunc unum ex duobus subsistentem veluti meris cogitationibus et subtilibus contemplationibus atque intellectus phantasiis usque eo separemus, dum agnoscamus differentiam illorum inter se haud homogeneorum atque consubstantialium, sed in naturalem unionem congregatorum, clare autem prohibent quominus in separatione permaneamus iamque « duo » dicamus hunc secundum hypostasim unum, utpote dualitate in perfectam sectionem trahente. Quid enim etiam dicit? « Ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur ». Et vide, quaeso, diligentiam sapientis Doctoris. Non enim dixit: « ita ut *illae* duae *naturae* non iam sint », — hoc enim esset imminutio, quae ex confusione *oritur*, — sed dixit: « non sint duo ». Nam cum haud imminuto modo in compositione et sint et illum unum perficiant, ab eo quod sint duo et in singularitatibus proprie subsistentibus subsistant atque numerentur, prohibentur per unionem, quae unam ex duobus hypostasim perfecit. *

* p. 117.

Cur ergo vi cogimur ad « duo » dicendum, cum Doctor clamaverit ea minime iam esse duo? Si enim stultis verbis tuis consensisset, convenienter dicere debuisset: « Igitur iam non sunt duae naturae separatae, sed individuae seu unitae ». Nimirum quia is etiam, qui propositionem obiecerat, dixerat: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise [2] », *Cyrillus* ostendit insociabiles dissonasque esse ambas locutiones, et scripsit atque velut in certamine adversantis et repellentis more *haec verba* protulit: « Cyrillus: « Adversatur rursus et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes osten-

1 *P. Gr.*, LXXVII, 245. — 2 *P. Gr.*, LXXVII, 244.

dere [1] ». Etenim idem esse unum et duo, ex impossibilibus est, quemadmodum ea, quae simul circa eandem rem non fiunt, invicem opposita esse videntur, tum secundum Patres sanctae ecclesiae, tum secundum communes notiones, tum secundum exteros sapientes: verbi gratia, idem esse nigrum *simul* et album, aut gibbosum *simul* et statura rectum, itemque secundum hypostasim divisum et unitum, atque duo et unum *impossibile est*.

Ideo etiam sanctus Cyrillus, in defensione decimi anathematismi seu capituli adversus iniqui Theodoreti reprehensiones, dicit: CYRILLUS: « Si enim vera est unio, non duo quidem omnino sunt, sed ex utroque unus et solus intelligitur Christus [2]. » Theologus autem Gregorius, in oratione de nativitate seu epiphania dixit: GREGORIUS: « Progressus est autem Deus cum assumptione, unum ex duobus contrariis, carne et Spiritu [3].» Qui ita * * p. 118. illum unum novit non esse duo, ut vel cogitationis contemplatione separari eum, qui inseparabiliter unus factus est, ut ita dicam, indignetur. Scripsit enim in secunda oratione de Filio: IPSIUS GREGORII: « Nonne omnibus evidens est eum cognoscere quidem, ut Deum, dicere autem se ignorare, ut hominem, si quis aspectabile ab intelligibili separet [4]? » Theodotus autem, qui Ancyrae Galatiae episcopus factus est, et velut Phinees [5] divino zelo zelatus est adversus [......] vesaniam Nestorii, sicque obtulit primitias sanctae synodi ephesinae, quae ipsum impium deposuit, in oratione de nativitate Christi secundum carnem, sic scripsit: THEODOTUS: « Quod unitum est, non iam est duo, sed unum nominatur [6]. » RURSUSQUE: « Sed quod est unitum, insolubiliter unum factum est, neque rursus fit duo [7]. »

CAPUT TERTIUM DECIMUM

Quod et Nestorius, cum duas naturas unitas diceret, deprehensus est confitens dilectionis unionem, cuius partus est dualitas, sicut verae unionis effectus est unum secundum compositionem et una natura atque una hypostasis Verbi incarnata.

[1] *Ibid.*, 245. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 445. — [3] *P. Gr.*, XXXVI, 325. — [4] *Ibid.*, 124. — [5] Cfr *Num.*, XXV, 7 ss. — [6] *P. Gr.*, LXXVII, 1356. — [7] *Ibid.*

Nam Nestorium quoque, cum « duas naturas » diceret, non recusasse ne illas « unitas » confiteretur, videri potest per ea, quae dixit, in oratione cui titulus inscribitur: « Cum lectum fuisset: « Quoties si peccaverit frater meus, dimittam ei [1]? » et ante ipsum alius episcopus de patientia dixisset », * * p. 119. cuius initium est: « Pulchrum est id, quod Doctor prius enarravit »: NESTORIUS: « Ego vero, id est, persona Ecclesiae, quibuscumque loquor, idem ad omnes dico: perfectum Deum et perfectum hominem Christum voco, naturas non commixtas sed unitas [2]. »

In hoc enim habetur differentia inter orthodoxam fidem nostram et vesaniam istius. Nos quidem, sola contemplatione considerantes ea, ex quibus est unus Christus, duas naturas videmus, quae in insecabilem unionem concurrerunt; at, post unionis cogitationem, duas naturas dicere iam rectum non iudicamus, quia in singularitatibus proprie subsistentibus non subsistunt, sed ex utraque absoluta est una hypostasis unaque natura Verbi incarnata. Iste autem, dilectionis unionem confitens, secundum quam, ait, Dei Verbum affectu dilectionis et amicitiae sibi aptavit illum ex Maria seorsum prius plasmatum infantem, eique dedit homonymiam filiationis et potestatis, et identitatem voluntatis et aequalitatem honoris et auctoritatis, convenienter, etiam post huiusmodi unionem, duas confitetur naturas unitas. Effectus enim verae et hypostaticae unionis, qua Verbum absque mutatione factum est caro, id est, homo, manendo etiam Deus, est ut unus secundum compositionem unaque natura Dei Verbi incarnata proclametur; unionis autem dilectionis et fictionis *effectus est* ut duae naturae dicantur, ita ut ex earum effectibus intelligatur quamnam unionem aliquis confiteatur, scilicet utram, veramne et hypostaticam, an pseudonymam. Etenim nomen quidem unionis tum ab * * p. 120. adversario, tum a nobis proclamatur, itemque duarum naturarum factam esse coniunctionem *agnoscitur*. At per ea, quae unione effecta sunt, ut dixi, intelligitur doctrinarum oppositio. Nam qui unam naturam Dei Verbi incarnatam confitetur, dicit confessionem verae unionis generatricem; qui vero duas naturas post unionem dicit, unionis nomen ementiens, separationem potius cogitat minimeque unionem.

[1] MATTH., XVIII, 21. — [2] LOOFS, p. 332.

Idque rursus docet sapiens Cyrillus qui, in epistula ad Eulogium, sic scripsit: CYRILLUS: « Non omnia, quae dicunt haeretici, fugienda sunt atque repudianda; multa enim profitentur ex iis, quae nos quoque profitemur. Exempli gratia, cum Ariani dicunt Patrem omnium creatorem et dominum esse, num ideo consequens est ut eiusmodi confessiones aversemur? Sic et de Nestorio; licet dicat duas naturas, differentiam significans carnis et Dei Verbi, — alia enim est Verbi et alia carnis natura, — unionem tamen nondum nobiscum confitetur. Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Filii incarnatam [1]. »

Attende ergo, o subtilis in cogitationibus tuis Grammatice, quomodo is, qui non dicit « unam naturam Dei Verbi incarnatam », unionem nobiscum non confiteatur. Non enim, ut dicis, is qui non confitetur utramque formulam, tum « una natura Dei Verbi incarnata », tum « duae naturae unitae » *unionem nobiscum non confitetur:* illa enim *formula* complementum est verae unionis, haec autem unionis dilectionis, quam Nestorius confitebatur. Nam eorum, qui hypostaticam unionem confitentur, proprium est id, quod sola veluti cogitatione * ea videant, ex quibus est Christus, duasque naturas incomprehensibiliter unitas esse phantasia apprehendant, minime vero, post unionis cogitationem, rursus duo dicant ea, quae in hypostasibus duo non sunt. Etenim τό duo dicere etiam post unionem et congermanitatem [2] exinde *ortam*, solvit unionem, neque unam hypostasim, neque unum Filium, neque unum Christum sinit unum Salvatorem et Dominum manere, sed dualitatem quoad omnia [3] inducit, singula in duo separando et efficiendo duas hypostases, duos filios, duos dominos, duos christos. De his enim in prima quoque epistula ad Succensum sic scripsit: CYRILLUS: « Itaque quantum attinet ad cogitationem atque ad contemplandum tantummodo oculis animae quomodo inhumanatus sit Unigenitus, duas naturas esse dicimus, quae unitae sunt, unum autem Christum et Dominum et Filium, Dei Verbum inhumanatum et incarnatum [4]. »

* p. 121.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] συμφυΐα. — [3] διὰ παντός. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 232.

Igitur, si quis illa duo, quae tantummodo oculis animae videt, ubi in unionem concurrerunt, perseveraverit dicere duo etiam post unionis cogitationem, non iam iuxta diligentem Doctoris institutionem tantummodo animae oculis duorum unionem subtiliter vidit, sed etiam secundum hypostasim *illa* separavit, minimeque unum Christum et Dominum Dei Verbum inhumanatum et incarnatum, quod ad ipsum pertinet, intelligi sivit. Si enim liceret post unionem duas naturas dicere individuas et unitas, supervacaneum prorsus foret *Cyrillum* indicare atque dicere: « quantum attinet ad cogitationem atque ad contemplandum tantummodo oculis animae ». At, quia unio hypostatica [1] sectionem in duo destruit, ideo quasi sola contemplatione * ea, ex quibus unio *facta est,* separari concessit. Idque rursus similiter in epistula ad Acacium, episcopum melitinensem, dicit [2], sic scribendo: CYRILLUS: « Ideo igitur ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [3]. »

* p. 122.

Ubi ergo absconderis, o egregie, sapiente Cyrillo illico [4] dicente velut in cogitationibus tantum considerandum esse duas naturas unitas esse; verum, post unionem sublatam esse sectionem in duas, atque dicendum esse unam esse naturam Filii incarnati et inhumanati? Si vero velut in cogitationibus tantum dicimus duas naturas esse unitas, sed post unionis cogitationem, tanquam sublata iam sectione in duas *naturas,* unam naturam confitemur Filii incarnati, dici nequit « duae naturae individuae et unitae » etiam post unionem: illa enim in duas *naturas* sectio evanescit.

CAPUT QUARTUM DECIMUM

Quod id, quod in cogitatione et contemplatione separent, non convenit iis, qui duas naturas post unionem dicunt; et quod vera et pseudonyma unio ex suis effectibus agnoscuntur.

[1] In margine: « hypostatica: non est in graeco ». — [2] In margine: « extulit: dicit ». — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [4] τὸ παραυτίκα.

Quomodo ergo in hoc libello mendacii specie corrupto, dum in eo gloriaris, quod sapientem Cyrillum explanes, scribis haec: Grammaticus: « In illis significat * eum, qui voluerit per cogitationis separationem naturas nominare, ab orthodoxa fide non distare. Noverat enim et Basilium dixisse: « Sed cogitatione naturam uniuscuiusque ex illis concipimus [1] », itemque Gregorium nazianzenum: « Argumentum autem, quod cum naturae cogitationibus separantur [2] » ?

Egregia est diligentia tua; magis egregia tua tum benevolentia tum commemorata ad sanctos Patres concordia! Igitur assurge et tu usque ad separationem in cogitatione ad intelligendam differentiam eorum, quae absque confusione in unum congregata sunt! Noli dicere duo post unionem! Sic enim et sanctus Cyrillus, qui in cogitatione separavit, qui Patribus et doctoribus prioribus, ut ipse testatus es, adhaesit, dixit: Cyrillus: « Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non ponimus seorsum naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [3]. »

Hic est character eorum, qui in cogitatione dividunt, ut ea, quae in cogitatione subtilique contemplatione seu phantasia intellectus duo apparuerunt, iam non dicant duo post unionis cogitationem. Etenim clare audisti *Cyrillum* dixisse: « ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [4] ». Si vero permaneas « duas *naturas* » dicens, seorsum ponis naturas et sectionem absolute, non autem, ut mentiris, sola contemplatione recipis, illamque unam hypostasim, * quam per simulationem dicis, duas *hypostases* effecisti, ita ut Deus Verbum seorsum sit et homo proprie et separate, dum individuitatem et unionem habent per identitatem voluntatis [5], per aequalitatem dignitatis [6] secundum auctoritatem [7], iuxta immunda vaniloquia Nestorii. Iamque in verbis

[1] *P. Gr.*, XXIX, 704. — [2] *P. Gr.*, XXXVI, 113. Locum Grammatici non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [4] *Ibid.* — [5] ταὐτοβουλία. — [6] ἰσοτιμία. — [7] αὐθεντία.

tuis deprehenderis: nam nugis ex mirabili libro tuo supra appositis addidisti haec: Grammaticus: « Igitur eos tantum *Cyrillus* anathematizat, qui Deum singillatim hominemque singillatim ponunt, identitate voluntatis, aequalitate honoris secundum auctoritatem coniunctos: haec enim pertinent ad amentiam Nestorii. Quomodo ab illa distinctione in sola contemplatione non avertit faciem suam, Basilium Gregoriumque secutus? Quomodo eos, qui duas naturas in hypostatica unione videri dicunt, putastis a vobis recte anathematizari [1] ? »

Numquid ex iis, quae antea considerata sunt, non vides te in caput tuum anathema pronuntiasse? Etenim ostensum est te non in sola contemplatione separare *naturas*, neque approbare illa duo, quae cogitatione apparent ut solummodo agnoscatur differentia eorum, quae unita sunt, iam non dici duo post unionem: quod est *sententia* eorum, qui sectionem perfecte recipiunt, sicut sapiens Doctor dixit, et separatim ponunt naturas, quae iam omni ex necessitate, iuxta immundas vocum fictiones [2] Nestorii, per honoris aequalitatem et individuae et unitae dicantur.

Sed dicis: « Ego hypostaticam unionem confiteor [3] ». Igitur ostende effectum huius unionis, ita ut illas duas *naturas* iam non dicas duo, sed utraque unum absolutum, iuxta verbum sapientis Cyrilli [4]. At non consentis! Ideo enim * haec verba clausis oculis praeteristi, dum alta cum superbia explicares illa ex epistula ad Succensum *verba*, quibus nos fulciri dixisti. Dum autem dicis duas naturas post unionem, partus unionis nestorianae inducis et calumniaris matrem, — hypostaticam dico unionem, quae non duarum naturarum, sed unius naturae Dei Verbi incarnatae generatrix est, — perinde ac si quis ex humano conceptu hippocentaurus aut bucephalus nasceretur, — quae ne in mendacibus fabulis [5] quidem unquam ficta sunt, — aut iuxta id, quod maledictionis more scriptum est ab Hiob philosopho fortitudinis, imo totius virtutis, pro tritico metat spinas et pro hordeo rubum [6].

Cur ergo hypostaticam quidem unionem demonstras, menda-

[1] Locum non repperi. — [2] εὑρεσιλογία. — [3] Locum non repperi. — [4] Cfr *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [5] μυθοπλαστία. — [6] Cfr Hiob, xxxi, 40.

cis autem et habitudinalis [1] *unionis* geminum partum inducis? Te tacente, causam ego dicam, *dicetque* quicunque stultis verbis tuis occurret: nempe quia studiose curas ut in opinione *tua* orthodoxus censearis, dum nestorianus es, et noster quidem in specie externaque facie, in imo autem et in abscondito illos aemularis. Nam si hypostaticam unionem non simulate sed vere confitearis, recusa dicere duas naturas post unionem, unamque confitere naturam Dei Verbi incarnatam. Si vero etiam post unionem individuas et unitas duas naturas dicis, cur amentem vocas ipsum Nestorium, et unionem per aequalitatem honoris et identitatem voluntatis specie vituperas, dum partus eius, duas dico naturas post unionem, foves? Individuae enim et verae unionis, — est autem haec hypostatica *unio,* — id proprium est, quod * perficiat unam naturam Dei Verbi incarnatam unamque hypostasim. Ita enim ipsa quoque vox individua [2] rectae fidei est significativa; illud autem, quod duae naturae dicantur, addatur autem « individuae et unitae », imitatur opinionem rectitudinis, eumque, qui duplicitate separatur, suasoria vocis individuae persona exornat. Una enim inseparabiliter, una est *natura* post unionem, minimeque duae, etsi absque confusione ex duobus quibusdam compacta. Illud autem, quod duo *est* post unionem, sectum est secundum hypostasim et pseudonyma unio illi adscribitur. Nam si vera est unio, minime duo sunt, sed unus intelligitur ex duobus Christus. Ubi autem duo sunt, etsi individua proclamantur, iterum accedit sanctus Cyrillus et dolum arguit iisque, quae in secunda epistula ad Succensum scripsit, clamat: CYRILLUS: « Illud autem « inseparabiliter » ab ipsis additum censetur quidem apud nos rectae fidei significativum esse; illi autem non ita intelligunt, sed « inseparabiliter » apud illos secundum vaniloquia Nestorii alio modo accipitur. Nam dicunt honoris aequalitate, voluntatis identitate et auctoritate inseparabilem esse Deum Verbum ab homine, in quo habitavit. Itaque haud simpliciter verba proferunt, sed cum dolo quodam et malitia [3]. »

Noli enim tecum cogitare, o sapiens, satis esse te solummodo

*p. 126.

[1] σχετικός. — [2] Id est: una *natura vel hypostasis.* — [3] *P. Gr.,* LXXV, 245.

dicere: « Hypostaticam hanc unionem ego confiteor; eam autem, quae aequalitate honoris *facta* et habitudinalis concipitur, immundam habeo et ab ea faciem meam averto », ut inter orthodoxos inscribaris, sed ex effectu agnoscetur utram *unionem,* hancne an illam, mente teneas, siquidem non * nominibus sed rebus rectam sententiam habemus. Nam si confitearis unam naturam Dei Verbi incarnatam et subtili intellectu separes ea, ex quibus est unio, videasque duorum quorumdam inter se haud consubstantialium, divinitatis Unigeniti Verbi et humanitatis, naturalem coniunctionem absque confusione factam esse, ut hucusque differentiam accipias ulteriusque non prosilias, neque sectionem perfecte inducas, illam per unionis cogitationem retinendo atque refraenando, ita ut post unionem « illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum absolvatur [1] »: unionem secundum hypostasim videris vere mente tenere. Si vero duas naturas post unionem confitearis, quaere tibi aliam quamdam unionem! Vera enim unio tibi non est accepta, quia non admittit eum, qui ex duobus in immutabilem et individuam unitatem compactus est, duo rursus a te dici post unionem. Igitur necesse est agnoscas tuam, id est, unionem aequalitatis honoris et identitatis voluntatis, atque ad eam curras, a qua simulate faciem tuam avertis. Idem enim facis ac viperae, de quibus asserunt ii, qui haec callent, eas corrodendo uteros, qui ipsas conceperunt atque gestarunt, nasci: nam duplicitatem naturarum perditricem illius unionis, quae ipsam genuit, efficere vi conaris, et ingrato animo eam probris afficis, quae tibi prolem tam expetitam edidit. Si enim vere orthodoxus esses, tum prolem, tum eius genetricem aequali odio haberes. *

Itaque clare scito nos anathema non dicere iis, qui in cogitatione et velut in subtilibus contemplationibus atque phantasiis intellectus separant ea, ex quibus est Christus et intelligunt differentiam eorum, sed iis, qui duas naturas post unionem dicunt, et cum blasphemia pugnant adversus mystagogos theologos, qui clamant atque testantur, bilinguia separantium ora opprimendo: « ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo,

*p. 127. *p. 128.

[1] Cfr *P. Gr.,* LXXVII, 245.

sed utraque unum animal absolvatur [1] », exemplo a nobis sumpto [2] ostendente ineffabilem Emmanuelis unionem.

Si vero vaniloquiis tuis vacans iterum dicas: « Dico tum unam naturam incarnatam, tum duas *naturas* individuas et unitas », iterum et nos cum iisdem medicinis et incantationibus occurremus tibi, si modo audias vocem incantationis et saneris bona salutarique medicina a sapiente sanatus, ut propheta psallens dicit [3]. Quis autem est sapiens? Cyrillus, verus huiusmodi morborum medicus qui, in secunda epistula ad Succensum, inducit eum, qui obiciendo interrogat: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise [4]? », ipseque respondet hanc vocem rectae sententiae opponi et adversari, sicque scribit: CYRILLUS: « Adversatur rursus et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere [5]. »

Quomodo ergo, o bone, ea quae inter se pugnant, *ut* idem profers? Quomodo non percipis, dum et nostra et quae *nostris* opponuntur dicis, idemque * determinas esse duo et unum, te comprehendi verbis, quae Gregorius theologus de iis, qui impii Apollinarii placita sectabantur, ad Cledonium scripsit: GREGORIUS: « si modo sibi ipsis consentire scirent et non sua propria dicere atque ea quae *sunt* adversariorum. Tale quiddam est stoliditas et veritatis impugnatio, ut nec quod sibi ipsis impingantur, aut intelligant aut erubescant [6]. » Apparet enim ex istis reprehensionibus tuam Sapientiam illis obnoxiam esse, dum illas nobis imponit, instar impudentium meretricum, quae in lupanari consistunt, et abscondita ignominiae, ut sancta Scriptura quodam loco dicit [7], expandunt et vendunt, suaque opprobria pudicis obducunt. At non absconditum est ab iis, qui sapienter audiunt et expertam habent acerbitatem atque malitiam haereticam, cuinam haec conveniant et cur oppo-

* p. 129.

1 *P. Gr.*, LXXVII, 245. — 2 Id est, exemplum ab homine nostri simili sumptum; cfr *ibid.*, 233, 245. — 3 Cfr *Psalm.* LVII, 6. — 4 *P. Gr.*, LXXVII, 244. — 5 *Ibid.*, 245. — 6 *P. Gr.*, XXXVII, 201. — 7 Respicit forsan ad EZECH., XVI, 16 ss.

sitas *inter se* voces inducas, ut nobis pacificator fias, dum non audis quidem Apostolum dicentem: « Quae societas luci ad tenebras [1]? » aemularis autem audax facinus patrum tuorum.

CAPUT QUINTUM DECIMUM

Quod haereticis, quasi pactione facta [2] et sub specie pacis, curae est dicere: « Dicamus voces tum nostras, tum orthodoxis solitas »: quod verbum veritatis nunquam probabit. Itaque dici nequit, post inexplicabilem unionem, *esse* et duas naturas individuas et unam *naturam* incarnatam.

Nam Nestorius quoque, erroris vestri pater, cum multis artificiis sollicite curavit ut impugnaret *locutionem* qua Virgo Dei genitrix proclamabatur; cumque non praevaluisset, tandem, * pacem peccatorum [3] offerens et pactionem non per Spiritum Dei [4], — primam quidem a Davide, alteram autem ab Isaia dictam, — dicebat: « Vocetur Deipara et hominipara, et assentio ». Etenim sollicite curant haeretici ut aut suam *doctrinam* integre inducant aut, nisi omnino illam *inducere valuerint, saltem* quaedam haeretica callide [5] et persuasibiliter *doctrinae*, quae recte se habet, immisceant.

* p. 130.

Audi ergo quomodo Nestorius id ipsum, quod dixi, recitet in oratione cui titulus: « De divina inhumanatione [6]; dicta est autem cum alius ante ipsum dixisset de caritate », *et* cuius initium est: « Dulcem nobis praecedens doctor mensam caritatis apposuit [7] »: NESTORIUS: « *Dico* τὸ θεοτόκος et addo τὸ ἀνθρωποτόκος. Hoc enim haereticus non probat, propter separationem, quae ex naturarum et vocum confessione fit. Igitur suadeo ut hanc etiam contentionem eorum circa pietatem superemus. Praedicemus geminatas illas voces. Sciebat namque etiam sapiens Paulus ea, quae scandalorum et scissurarum causas discipulis dabant, sanare [8]. » ET POST PAUCA: « Confitere id, quod ab omnibus orthodoxis dicitur. Hoc enim proprium est eorum, [qui] recte vocem θεοτόκος dicunt, *scilicet* ut non solummodo

1 II *Cor.*, VI, 14. — 2 κατὰ τὰς συνθήκας. — 3 *Psalm.* LXXII, 3. — 4 ISAI., XXX, 1. — 5 ποικίλως. — 6 Cfr LOOFS, p. 297. — 7 *Ibid.*, p. 298. — 8 Cfr *ibid.*, p. 301-302.

θεοτόκος, sed et ἀνθρωποτόκος de Virgine proclament [1]. » Rursusque: « Nam perfecta confessio rectae doctrinae *haec est:* cum *voce* θεοτόκος etiam *vocem* ἀνθρωποτόκος proclamare [2]. »

Et haec quidem Nestorius! Considerentur autem, si placeat, etiam tua, et auditoribus ostendant perfectam similitudinem claramque imaginem maleficentiae simulacri patrum tuorum, ut * dixi: Grammaticus: « Quapropter beatus Cyrillus et eos, qui duas naturas de Emmanuele dicunt, recipiebat, cum haeresim Apollinarii fugeret, rursusque assertionem unius naturae Dei Verbi incarnatae profitebatur, propter sectionem Nestorii. Cum enim utrumque proclamatur, rectae sententiae indicativum est; cum vero una tantum confessio editur, mala quaedam suspicio haeresium oritur [3]. »

* p. 131.

O pessima imitatio! O quantum sententiae verbaque filii *sententias verbaque* patris imitantur! Nestorius dixit: « Praedicemus geminatas illas voces; nam perfecta confessio secundum rectam doctrinam *haec est:* cum *voce* θεοτόκος etiam *vocem* ἀνθρωποτόκος proclamare », et Grammaticus dicit: « Cum enim utrumque proclamatur, rectae sententiae significativum est ». Rursus Nestorius hanc saniem eructavit: « *Voci* θεοτόκος etiam *vocem* ἀνθρωποτόκος addo. Hoc enim haereticus non probat », et Grammaticus saniem patris sui exsuxit et evomuit: « Cum vero una *tantum* ex illis *vocibus* editur, mala quaedam suspicio haeresis oritur. »

Quid igitur ad istas pactiones instabiles et paces minime pacificas et oppositorum verborum haud mixtas mixturas, id quod inexcogitabile et impossibile est [4] excogitabunt haeretici, ut possibiles *eas esse* ostendant? Divini Spiritus bellator, sanctus Cyrillus, qui cum Koheleth in eos clamabat: « Tempus est belli et non est tempus pacis [5] », adversus Nestorium quidem, in oratione de inhumanatione, reiciendo mixturam eius scripsit sic: Cyrillus: « Namque hominem factum esse immutabiliter Dei Verbum dicimus. Et quod attinet * ad carnis naturam, peperit sancta Virgo sibi et nobis consubstantiale corpus: verumtamen cum Deiparam dicimus, huius quoque

* p. 132.

1 Loofs, p. 302-303. — 2 *Ibid.*, p. 303. — 3 Locum non repperi. — 4 ἀμήχανον καὶ ἀδύνατον. — 5 Cfr Eccles., iii, 8.

rei significatio utique infertur: non enim nudam divinitatem peperit sancta Virgo, sed Verbum Dei carni unitum. Neque aliter intelligi posset Deipara, nisi hoc modo. Itaque praecurrit omnino inhumanationis confessio, atque ita iam verum est Deiparam factam esse sanctam Virginem, quae mirabiliter unum Christum peperit, nostrum instar carnis et sanguinis participem, ipsi nobisque secundum humanitatem consubstantialem, ita ut caro ex Deipara Maria sit. Non enim similem secundum substantiam *genuit*, ut nonnullis visum est haereticis, sed consubstantialem, id est, ex nostra substantia. Dicit enim *Scriptura:* « Semen Abrahae apprehendit [1] ». At vero « similis secundum substantiam » non verum hominem significat, sed similitudinem filii hominis, sicuti Daniel dicit [2]. Apostolus autem non similitudinem nos docuit, sed dicit: « Homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus [3] ». Consubstantialem autem eundem Deo et Patri divinitus, sicut et patres confessi sunt, Patri consubstantialem, non similem secundum substantiam dicentes. Supervacue igitur et absque ulla necessitate, cum Deiparam dixerimus, etiam hominiparam addimus. Sufficit enim, ut dixi, prius vocabulum, quod universi mysterii nostri confessionem continet, et nullam verborum fictioni causam praebet his, qui veritatem calumniari volunt. Est enim mos haereticorum recte dicta ad adulterinum sensum transferendi: quod ceterum nullo modo miramur reputantes eos errare etiam divinas Scripturas * male interpretando [4]. » Adversus Grammaticum autem, dicentem oportere, post unionem, tum duas naturas individuas, tum unam naturam Dei Verbi incarnatam confiteamur, certabat ad Succensum, ut saepe diximus, secunda vice hoc sic scribendo: Cyrillus: « Adversatur rursus et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere [5]. » Et post pauca: « *ita ut* proinde illae duae *naturae* non iam sint duo, utraque autem unum animal absolvatur [6]. » Rursusque ad Acacium, episcopum melitinensem, scripsit:

* p. 133.

1 *Hebr.*, ii, 16. — 2 Dan., x, 16 (Theodot.). — 3 I Tim., ii, 5-6. — 4 *P. Gr.*, LXXVII, 1093. — 5 *P. Gr.*, LXXVII, 245. — 6 *Ibid.*

« Verum, post unionem, tanquam sublata iam sectione in duaš, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, sed inhumanati et incarnati [1]. »

Dualitas enim est sectio atque separatio unius. Sic etiam, cum in cogitatione consideramus ea, ex quibus illud unum in naturalem unionem compingitur, videmusque duo quaedam esse, quae *invicem* concurrerunt, dicimus nos separare in contemplatione et solummodo quatenus duo consideramus. Si vero etiam post unionis cogitationem pergamus dicere duo, separamus *ea* etiam secundum hypostasim, ita ut non una, sed duae sint hypostases atque naturae, quibus frustra illinimus unionem et inseparabilitatem tanquam artificiosum quoddam et ementiti nominis fucum. Noli ergo dualitatem, quae hunc unum *Christum* destruit et separat, adducere *quasi* eadem *sit* ac nomina et sententiae, quae e regione *ab ea* dissident, in medium, ut dixi, haud persuasibilis reconciliator procedendo. * Tuas enim pactiones sanctus Cyrillus reicit! Nam et Naas ammonita, cum se armavisset adversus quosdam ex Israel, innuebat illis se pacem facturum, sic dicens: « In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculum dextrum ponamque opprobium super Israel [2] ». Verum, istis pactionibus non consenserunt, quia erant Israel; sed cum flevissent propter opprobria et convicia barbari, supplicaverunt Domino et vicerunt. Igitur neque nos, utpote qui Israel sumus, quatenus recte cogitamus, pura mente Deum videntes, — haec est enim appellatio Israel: « intellectus aspiciens Deum », — ammoniticas pactiones tuas accipiemus; ab iis autem, quorum oculus dexter erutus est, nihil distaremus, si dualitatem, bellatricem sub specie amatricis, armaremus adversus *locutionem* « una natura Dei Verbi incarnata », dicentes eandem esse *locutionem* oppositam, sicut ostendit investigatio eorum, quae antea indagata sunt; ex quibus apparuisti haereticus atque malitiam patrum tuorum consectatus, utpote qui rectis et sanis perversa miscere properas.

* p. 134.

Etenim Nestorius quoque a Theodoro, episcopo mopsuesteno, id accepit quod vocem ἀνθρωποτόκος voci θεοτόκος adiunxit.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [2] I *Reg.*, XI, 2.

Illum haec etiam scribentem produxit sanctus Cyrillus, in libello adversus Theodorum: Theodorus: « Cum igitur interrogant: « Utrum ἀνθρωποτόκος an θεοτόκος est Maria? » dicatur a nobis utrumque *nomen:* primum quidem, secundum rei naturam; alterum vero secundum relationem. Etenim ἀνθρωποτόκος est secundum naturam, quia homo erat in sinu Mariae, qui etiam exinde processit; θεοτόκος autem, quia Deus erat in homine nato, non * in eo circumscriptus secundum naturam, sed in eo exsistens secundum affectum voluntatis [1]. » Ad haec autem, etiam post pauca *alia*, dicit sapienter redarguendo istas aniles et iudaicas fabulas: Cyrillus: « Itaque meliori iure θεοτόκος quam ἀνθρωποτόκος dicitur a nobis sancta Virgo, etsi Christum secundum carnem genuit [2]. Cum enim aliquis ἀνθρωποτόκον illam dicit, communicat cum ipsa appellationem, quae de ceteris etiam matribus [3] dicitur, quae alios genuerunt secundum legem humanitati convenientem. Qui vero θεοτόκον *illam* dicit, auditorum intellectum virtute mysterii statim erigit. Nam quomodo mulier sit θεοτόκος, prorsus quisquam indagabit: intelliget autem, quia cum Verbum esset Deus, caro factum est, iuxta vocem Iohannis, et egressus est *ut* homo, cum dispensatorie generationem ex muliere tulit. Hanc dicimus esse unionem veram et mysteriosam et revera ineffabilem: nam unum nobis ostendit illum natura et veritate Deum et Filium et Dominum, Salvatorem et Liberatorem omnium [4]. »

* p. 135.

Igitur, sicut perfecta est vox θεοτόκος minimeque haeretico additamento indiget volente eam etiam ἀνθρωποτόκος vocari, ut cum nominibus ipse quoque unus Christus dividatur in hominem seorsum et Deum singillatim: ita etiam *formula, qua* confitemur unam naturam Dei Verbi incarnatam, perfecta est atque absoluta, minimeque requirit ut duae naturae individuae et unitae post unionem proclamentur, « sublata iam sectione in duo, ita ut *illae* duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum absolvatur [5]. » Ipsas enim saepissime iisdem * verbis sancti Cyrilli voces tibi clamabo, si forte audias, si forte

* p. 136.

[1] Cfr Pusey, t. III, p. 531 (latine tantum). — [2] *Ibid.*, 532 (latine tantum). — [3] In margine: « mulieribus ». — [4] Locum non repperi. — [5] Cfr *P. Gr.*, LXXVII, 245.

intelligas [1], o bone, ut quodam loco aliquis ex prophetis dicit ad aurem tardam ad audiendum.

CAPUT SEXTUM DECIMUM

Quod unaquaeque ex his *formulis, quibus* Christum et confitemur ex duabus naturis *esse,* et dicimus unam *esse naturam* Dei Verbi incarnatam, stabilit perfectam significationem suam, cuius causa etiam assumpta est. Eversio huius *assertionis:* suspicionem haeresium habere id, quod dicamus *Christum* esse « unam naturam Verbi incarnatam », nisi *simul* confiteamur illum etiam « in duabus naturis individuis » intelligi.

Nam si quis voluerit considerare, ut fieri potest, ea ex quibus *est* Emmanuel, oculis intellectus videbit ex duabus naturis unionem factam esse, id est, ex divinitate et ex humanitate. At vero, post cogitationem unionis, cum qui ex ea absolutus est, inveniet *esse* unam hypostasim unamque naturam Dei Verbi incarnatam, non duas hypostases, non duas naturas, non duas personas. Etenim dualitate post unionem *admissa,* convenienter sequetur omnia « duo » *esse.* Itaque haec quidem confessio: « ex duabus naturis *est Christus* », modi dispensationis [2] velut in subtilibus phantasiis mentis *consideratae* indicativa est, id est τοῦ unam naturam Dei Verbi incarnatam agnoscere et confiteri et adorare post cogitationem unionis perfectae et refulgentis atque dualitatis verbum recusantis. Quod coram nobis manifesto statuit et ipsis oculis videndum et lucide considerandum praebuit Cyrillus, divinae inhumanationis cum apostolis praeco, iis quae

* p. 137.

in prima epistula ad * Succensum sic scripsit: Cyrillus: « Considerantes igitur, ut dixi, modum inhumanationis, videmus duas naturas inter se convenisse indissolubili unione absque confusione et mutatione: caro enim caro est, et non divinitas, etsi caro Dei facta est; itemque Verbum Deus est, et non caro, quamvis carnem dispensatorie propriam sibi fecerit. Igitur, cum id consideramus, nihil laedimus concursum in unitatem, quem ex duabus naturis dicimus esse factum; sed post uni-

[1] Ezech., III, 11, ubi Severus videtur legisse non ἐνδῶσιν sed συνῶσιν. Cfr huius versionis t. II, p. 70. — [2] In margine: « unionis ».

onem naturas a se non separamus, neque in duos filios secamus illum unum et indivisum, sed unum Filium dicimus et, ut Patres dixerunt, unam naturam Verbi incarnatam [1]. »

Itaque, cum utraque confessio proprium propositum assequatur et perfecte se habeat ad demonstrationem et constitutionem rei circa quam assumpta est, cumque haec quidem *formula* « ex duabus *naturis* » extollat intellectum ad tempus, ut dici potest, insecabile ineffabilis coniunctionis Dei Verbi cum humanitate et ad concursum eorum, quae absque confusione ad unionem adducta sunt, atque ad differentiam eorum velut in subtilibus cogitationibus, et modum unionis, id est, coniunctionis inexcogitabilis et inexplicabilis inhumanationis, ut fieri potest, intelligendum praebeat; illa autem *formula* « una natura Dei Verbi incarnata » perfecte et modo mirabilissimo [2] talique qualem nulla alia formula attingit, significet effectum, qui post unionis cogitationem apparet, id est, unam hypostasim Filii Dei inhumanatam, non solutam in ea, ex quibus compacta est, * neque iam post unionem « duae naturae » appel-

* p. 138.

latam: quomodo tu, o audacissime atque inerudite, ausus es imperfectionem et exinde *exsurgentem* maculam adscribere illi perfectae voci, quae effectum mirabilem et insecabilem tamque Deo dignum indicat, atque dicere quod, nisi cum confessione unius naturae Dei Verbi incarnatae etiam proclametur Emmanuelem esse duas naturas, suspicionem culpae et vituperationem haeresis non effugiat id, quod dicamus unam naturam Dei Verbi incarnatam?

Et quomodo haec non essent mentis stultae et insanientis, imo prorsus haereticae atque ea, quae mixta non sunt, miscere audentis? Undenam enim malam illam suspicionem, ut dixisti, tam perfectae voci illinis? Evidenter ex gazophylacio Nestorianorum, *atque* quo magis proprio vocabulo utar, e cavernis tenebrarum e quibus ad sanctum quoque Cyrillum putarunt se posse imbecillas illas propositiones struere ii, qui ipsam vocem [3] expungebant. Et vide quam risu digna omnisque amentiae plena sit *eorum* reprehensio adversus illam *formulam;*

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 232. — [2] ὑπερθαυμάστως? — [3] Id est, cyrillianam formulam.

habetur autem in secunda epistula ad Succensum: « Si una est natura Dei Verbi incarnata, omnino necesse est dicere confusionem et mixtionem factam esse, imminuta quodammodo in ipso atque subrepta humana natura[1] ». Itaque reprehensione sic se habente, numquid, sicut tu dicis, sapiens Doctor scripsit: « Et unam dico naturam Verbi incarnatam, et duas naturas confiteor *esse Emmanuelem* »? *Numquid* usus est voculis tuis impiis et ineruditis, quae dicunt: GRAMMATICUS: « Cum enim utrumque proclamatur, rectae sententiae indicativum est; cum vero una confessio reicitur, mala quaedam suspicio * haereseos oritur[2] »? Minime, sed id quod perfectum est atque accuratum testificatus est, *scilicet* hanc vocem inspiratam; nam sic scripsit: CYRILLUS: « Supervacaneo igitur loquuntur qui dicunt, si una sit natura Verbi incarnata, prorsus et omnino consequi confusionem et commixtionem factam esse, utpote imminuta et subtracta hominis natura. Neque enim imminuta, neque, ut aiunt, subtracta est; sufficit *enim* ad plenissimam demonstrationem huius, quod homo factum sit, dicere: « incarnatum est ». Hoc enim si reticeremus, haberet forsitan locum aliquem eorum calumnia; cum vero necessario additum sit, ubinam imminutionis vel subtractionis modus[3]? » In oratione vero « Quod unus Christus » iisdem cum verbis procedit, perfectam *esse* testificatus ipsam vocem, minimeque, iuxta stultitiae tuae verba, dixit illam eo indigere, ut etiam in duabus naturis definiatur Christus, cum ad alteram personam[4] haec loqueretur: CYRILLUS: « Quam maxime quidem superflua, o amice, loquitur qui dicit confusionem et mixtionem fieri, si a nobis proclametur una natura Filii incarnata et inhumanata. Nemo enim necessariis et veris syllogismis huius demonstrationem facere posset. Sed si suam quidem voluntatem nobis legem statuant, excogitaverunt consilium, quod non possunt stabilire. Neque enim ad illos, sed potius ad Scripturam inspiratam, attendendum est[5]. »

Ex istis igitur observa ubi, sicut dicitur in evangelio, thesauri cordis tui ex ore tuo procedunt, eos nihil aliud ostendere nisi te adversarium esse sancto Cyrillo omnibusque eximiis orthodoxiae interpretibus, qui tradiderunt unam esse naturam Verbi incarnatam et inhumanatam, cum haud exstantem maculam * illinas formulae, nisi simul cum illa proclametur etiam in duabus naturis Christum agnosci. Dixisti enim: GRAMMATICUS: « Cum vero una confessio reicitur, mala suspicio haereseos oritur[1]. »

Itaque iuxta tuas arbitrarias et impias leges, o bone, increpa virum apostolicum Athanasium, qui dixit: ATHANASIUS: « Non duas naturas *confitemur esse* unum Filium, unam adorandam et unam non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et una adoratione cum carne eius adoratam[2]. » Etenim eiecit unam ex tuis confessionibus, dico « duas naturas », et alteram confirmavit, ostendendo suum esse, et non tuum, unam naturam Verbi incarnatam confiteri; praebuit autem adversus semetipsum causam malamque haereseos suspicionem.

Repelle hanc amentiam et reice ista parricidae verba Deoque infensa, quae deiferos mystagogos vocant haereticos et dignos anathematibus atque maledictione adversus eos, qui ita se habent, decretis, quaeque derisum profundunt in formulam laudabilem et nominatissimam et perfectam quae confitetur unam esse naturam Dei Verbi incarnatam. Treme sacram Scripturam, quae maledictionem et derisum tibi infert, dicendo: « Filius malus maledicit patri suo[3] », et iterum: « Oculum, qui irridet patrem suum, eruent corvi ex vallibus et comedent filii aquilarum[4] ». Noli vim adhibere ad solvendam hanc insolubilem atque insecabilem vocem duplicitate naturarum post unionem, neque dicas: « Vobiscum veram et hypostaticam unionem confiteor, et ab *unione* dilectionis faciem meam averto; dico unum Christum *esse* et « unam naturam Dei Verbi incarnatam » * et « duas naturas individuas ». Nam similis es ei, qui idem aedificat atque evertit: dicis quidem unam *naturam* ut decipias et intercessor habearis, duas autem naturas inducis et purum hoc

* p. 139.
* p. 140.
* p. 141.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 241. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 241. — [4] Id est, ad collocutorem in dialogo. — [5] *P. Gr.*, LXXV, 1292.

[1] Locum non repperi. — [2] *P. Gr.*, XXVIII, 25 et LIETZMANN, p. 250. — [3] *Prov.*, XXIV, 34. — [4] *Ibid.*, 52.

caeno miscere studiose conaris. Tales erant olim Samaritani illi, qui circum Hierusalem habitabant, erga Israelitas, qui ex Babylone reversi erant et aedificabant templum Dei: qui conabantur se illis immiscere et simulabant se velle ad opus adiumentum afferre, re autem vera ut aedificium funditus everterent sollicite curabant. Isti quoque dicebant: « Aedificabimus vobiscum, quia sicut vos quaerimus Deum vestrum ipsique nos sacrificamus[1] »; sed audiebant ab iis, quos non fugiebant machinationes eorum: « Non vobis et nobis id *sit*, ut aedificemus domum Deo nostro[2] ».

Itaque haud intempestive dicimus ad eos, qui dicunt duas naturas individuas et unitas *esse* unum Dominum Iesum Christum: Non vobis et nobis id *sit*, ut aedificemus, seu ut confiteamur hypostaticam unionem; cum enim duas *naturas* dicitis, arguimini id ipsum solvere, quod voce praetexitis vos confiteri. Nam effectus hypostaticae unionis est, ut manifesto ostensum est, ut unam dicamus naturam Verbi incarnatam, minimeque duas *naturas*.

Scio profecto vos etiam in hoc Samaritanorum amentiam aemulari, dicentes: « Confitemur tum duas naturas, tum unam *naturam* Dei Verbi incarnatam ». Sic enim de illis etiam scriptum est in quarto *libro* Regnorum, qui est liber Regum: « Dominum timebant et deos eorum colebant[3] », rursusque: « Et erant * istae gentes timentes Dominum et sculptilibus suis servientes; nam et filii eorum et filii filiorum eorum, sicut fecerunt patres sui, *ita* faciunt usque in praesentem diem[4] ». At eos, qui ita in utramque partem misere et impie abibant, increpabat propheta Elias divini zeli igne inflammatus, sic dicens: « Usquequo claudicabitis utroque poplite? Si Dominus est Deus, ite post eum; et si Baal est, ite post illum[5] ». Haec etiam sanctus Cyrillus ad illos quoque Grammatici secundum impietatem patres apparet dicens, in defensione noni anathematismi, dum scribit adversus reprehensionem impii Theodoreti simulantis se confiteri haec nomina bene sonantia[6], *scilicet voces* medium agentes[7] « unio » et « unus Christus »:

* p. 142.

[1] II Esdr., iv, 2. — [2] *Ibid.*, 3. — [3] IV *Reg.*, xvii, 33. — [4] *Ibid.*, 41. — [5] III *Reg.*, xviii, 21. — [6] εὔφημος. — [7] μεσιτεύοντα, id est, quae oppositis sententiis conciliandis apta videbantur.

Cyrillus: « Ubi igitur unio, et quae exinde utilitas, si duo christi et singillatim atque seorsum uterque concipiatur et praedicetur? Igitur, licet pietatis personam sibi affingant et unum dicant Christum, re vera duos putantes, audiant a nobis: « Usquequo claudicabitis utroque poplite? » Melius enim fuerit recte incedere, fidem habentes puram et firmam, non stultis opinionibus claudicantem[1]. »

Igitur, quae quidem a sapiente Doctore *mutuor*, haec sunt; ostendunt multiformes et cognatas machinationes eorum, qui unum Christum dividunt et verbis in utramque partem abire non fastidiunt atque omnia commovent ut suam *sententiam* admisceant, atque id quidem, quod rectum est, tanquam sub mutuata persona per verba bene *sonantia corrumpunt, impietatem vero fortiter tenent. Ipse autem habeo, et quidem valde copiose, quod ostendat hunc egregium Grammaticum ad huiusmodi malas machinationes accedere. Videns enim suum luteum duarum naturarum murum, quem, velut ex lateribus non coctis, ex terrenis humanisque ratiocinationibus infirme aedificat, in hypostases et duas personas separatum sicque dirutum, rursus samaritana Deoque infensa consilia sectatur, et imaginatur se cum solidis, ut putat, materiis supra Hierusalem, quae est immobilis Ecclesia et fides super petram Christum fundata, turrim aedificaturum esse. At propheta Isaias similibus *figuris* in antecessum expandit et maledictioni subicit stultitiam istius, sic *dicens:* « Et scient omnis populus Ephraim et qui habitant in Samaria, qui ad contumeliam et cum superbo corde dicunt: « Lateres ceciderunt, sed venite, caedamus lapides et excidamus sycaminos et cedros, et aedificemus nobis turrim ». Et deiciet Deus eos, qui consurgunt adversus Hierusalem et adversus montem Sion adversus illum[2] ». Quis enim pugnabit adversus spiritualem Hierusalem, quae videt pacem et a pace videtur, quae *pax* est Christus: « Ipse enim est pax nostra[3] », ait Paulus scribendo ad Ephesios. Hierusalem[4] autem explicatur « visio pacis »: igitur, insania est super eam, quae sic se habet, adversariam turrim exstrui. Quis autem et

* p. 143.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 436. — [2] Isai., ix, 9-11. — [3] *Ephes.*, ii, 14. — [4] In margine: « interpretatio nominis Hierusalem ».

montem Sion, speculam excelsam, — sic enim explicatur in lingua graeca, — et praefigurantem omnia speculantem et aspicientem sublimitatem verbi pietatis, per turrim machinationum supergredietur et dissipabit, quin corruat omnino haec * p. 144. turris super eum, qui ipsam aedificavit et deiciatur * super cranium superbum et arrogantiae tumore intumescens et ossa eius dispergat? Ideo enim quidam sapiens etiam dicit: « Qui in altum mittit lapidem, super cranium suum [1] *illum* iacit [2] ». Nam quicumque armatur adversus spiritualem Hierusalem aut adversus montem Sion, similis est ei, qui lapidem funda iacit in caelum et conatur iacere in Deum. Ideo dicit propheta: « Et deiciet Deus eos, qui consurgunt adversus Hierusalem et adversus montem Sion adversus illum [3] », perinde ac si quis dicat: Quid dico « eos qui consurgunt adversus Hierusalem et adversus montem Sion »? Nam adversus ipsum omnium Deum consurgunt, dum adversus Hierusalem et adversus montem Sion consurgunt.

Sed nunc tempus est considerandi ex quibus materiis Deo infensis ille etiam Grammaticus audeat turrim extruere et impietatem sententiis vocibusque obscuris abscondere.

CAPUT SEPTIMUM DECIMUM

Confutatio malitiae haereticorum existimantis fore ut impietatem mutatione vocum abcondat atque dicentis *formulam* « in duabus nauris » *tanquam* « in duabus substantiis » intelligendam esse.

Dicit iste sophistes strenuus et ipsa die vel, ut proprie dicam, ipsa nocte natus [4], quique tenebrarum *verba* loquitur, se in duabus naturis unitis dicere atque confiteri unum Christum, intelligendo naturas non *ut* hypostases sed *ut* substantias, ita ut Christus agnoscatur in duabus substantiis, id est, in significationibus genericis, in divinitate collectiva et in communi *entitate* [5] totius humanitatis: ideo enim, ait, et Christus * p. 145. proclamatur consubstantialis Patri secundum divinitatem * *et* consubstantialis nobis secundum humanitatem; hanc etiam ob

[1] In margine: « caput suum ». — [2] *Eccli.*, XXVII, 25. — [3] ISAI., IX, 11. — [4] ἐφήμερος, ἐπινύκτιος. — [5] ἐν τῷ κοινῷ.

causam dissertationem de substantia et hypostasi atque natura praeposuit libello *suo*, et dixit: GRAMMATICUS: « Substantia quidem id, quod commune est [1], significat, verbi gratia, unam sanctae Trinitatis divinitatem et communem nobis humanitatem [2]. Hypostasis autem *significat* unam personam Patris vel Filii vel Spiritus sancti, vel rursus Petri vel Iohannis vel cuiuslibet hominis. Natura autem modo quidem loco substantiae, modo vero loco hypostasis et intelligitur et dicitur [3] ». Iamvero, ideo nos quoque fusam de his contemplationem antea posuimus ex inspirata institutione mystagogorum Ecclesiae et praeparavimus auditorem ad investigationem eorum, quae examinanda erant.

At ipsa verba et nomina audiamus, si placeat, ut discamus quomodo in duabus naturis, id est, substantiis Christum confiteatur iste strenuus quique iuvenili prorsus modo genas suas inflat [4] et gloriatur se sanctorum Patrum *verba* dicere: GRAMMATICUS: « Igitur ubi Patres « naturam » singulariter ponunt, quin « Dei Verbi » addant, tunc substantiam significant, duasque *naturas* dicunt esse in Christo: norunt enim eum secundum aliud atque aliud et Patri et nobis consubstantialem [5]. » RURSUSQUE: « Igitur, cum dixit « unam naturam Dei Verbi », unum illum de Trinitate intelligendum praebet, qui est hypostatica persona Verbi, eum qui Patri consubstantialis est, utpote eandem genitoris sui substantiam possidens. Cum autem addidit « incarnatam carne anima menteque praedita », docet in Deo Verbo *esse* id, quod commune est, totius substantiae hominum, non hominem signatum et personam distinctam ponens, sed id quod communiter in quolibet homine apparet, quod est substantia. Omnis enim homo est caro anima * * p. 146. rationabili et intelligente animata. Igitur, in una persona sanctae Trinitatis, quae est Deus Verbum, salutem omnium hominum per unionem ponit. Proinde in duabus naturis, id est, substantiis agnoscitur Deus Verbum inhumanatus: habetur enim in ipso substantia divinitatis, habetur autem in ipso etiam substantia humanitatis [6]. »

[1] τὸ κοινόν. — [2] τὸ κοινὸν ἡμῖν τῆς ἀνθρωπότητος. — [3] Locum non repperi. — [4] φυσᾶν τὰς γνάθους. — [5] Locum non repperi. — [6] Locum non repperi.

Quis Ieremias sciens mystice laborare super tantam amentiam et tantum stuporem non ploraret et super istos inanimos lamentationem non emitteret? Quasi non sufficiente sola natura rationali, ut dignum est, lamentari, etiam dicat: « Muri Sion, deducite lacrymas quasi torrentes die ac nocte[1] ». Si quis autem alte et sublime intelligere velit, muri Ecclesiae, spiritualis Sion, sunt animae hominum, qui bene se gesserunt et praedicaverunt verbum pietatis, quos Paulus columnas vocat[2]; aut rursus, *sunt* virtutes incorporales, quarum opus id est, quod custodiant eos, qui Deum cognoverunt, sicut canitur a Davide propheta: « Castra ponet Angelus Domini in circuitu timentium eum[3] »; et muros sic intellectos Ecclesiae, id est, Sion, vocabit ad communionem luctus. Nam quemadmodum discimus ex evangelii voce, gaudium fieri caelestibus virtutibus propter unum peccatorem paenitentiam agentem[4], ita sine controversia etiam patiuntur et dolorem participant cum iis, qui Deum timent, de omni quidem peccato, praesertim vero de blasphemia in Deum. Clamet etiam peropportune Michaeas *verba* similia *verbis* Hieremiae, et velut ad confusionem amentium et impiorum et in stuporem delapsorum advocet valles et colles in iudicium impietatis adversus Deum ac si possent magis quam isti percipere: « Audite colles iudicium Domini * et valles et fundamenta terrae, quia iudicium Domino *est* ad populum ipsius[5]. »

* p. 147.

Quibus autem auribus istam blasphemiam, quae modum excedit, aliquis suscipiat? Nempe quia Verbum consubstantiale est Patri, tanquam ipsam eandem genitoris sui substantiam possidens, consubstantiale autem et nobis, tanquam incarnatum carne anima menteque praedita, in duabus naturis, id est, substantiis concipitur Deus Verbum inhumanatus: habet enim substantiam divinitatis, habet autem et humanitatis *substantiam!* Haec enim pergendo addit, — nam oportet omnia *verba* eius inducantur et congregentur, obscuritatibus dispersae impietatis eius in unum collectis: Grammaticus: « Adhaerentes nempe sanctorum Patrum verbis, quia didicimus

[1] *Thren.*, II, 18. — [2] *Gal.*, II, 9. — [3] *Psalm.* XXXIII, 8. — [4] Cfr Luc., XV, 7. — [5] Mich., VI, 2.

ab eis Christum consubstantialem Patri et Deo et consubstantialem nobis dicere, illum in duabus naturis, id est, substantiis, dicimus[1]. » Rursusque: « Sic ergo in Christo duarum substantiarum facta est unio[2]. »

Recogita igitur verbum tuum extra sacras Scripturas effugere et ad vanitatem delabi. Si enim substantiarum unionem nobis inducis, o egregie, ipsas autem substantias a te intelligi dixisti « id, quod communiter in omnibus apparet », — nam tuis utar verbis; — id autem, quod communiter in omnibus apparet, quoad sanctam Trinitatem quidem est divinitas, — nam una eademque divinitas *est* in tribus hypostasibus, — quoad [nos][3] autem caro rationabiliter animata, — [nam una eademque est in][3] toto genere hominum; — *si insuper* unionem deiferi mystagogi Ecclesiae coniunctionem carnis, evidenter rationabiliter animatae ad Deum Verbum *esse* dicunt, sequentes vocem inspiratam evangelii * manifesto clamantem: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis[4] », — quam *unionem* etiam incarnationem et inhumanationem et compositionem vocant, quatenus Deus Verbum, una hypostasis, unam particularemque carnem rationabiliter et sapienter animatam, ex deipara Maria *ortam* sibi hypostatice univit, — dum Pater et Spiritus sanctus cum carne non compositi sunt, neque inhumanati sunt; — *atque tandem si* cuius est incarnatio et inhumanatio atque compositio, illius evidenter est etiam unio: igitur non substantiarum facta est unio, sed unius hypostasis Dei Verbi ad carnem particularem, anima menteque praeditam, ex Virgine deipara *ortam*. Et audi Athanasium, dogmatum orthodoxiae stellam, quae puram doctrinae lucem nobis splendere facit de re proposita; — quae *verba* tu quoque in isto lamentabili libello apposuisti, cum illa nequaquam intellexisses: si enim intellexisses, in tantum errorem non collapsus esses; sunt autem haec: Athanasius: « Et ex eo « quomodo? » et « quemadmodum? » et « quali consequentia? » in infidelitatem abierunt et ipsi; ac inhabitationem pro incarnatione constituerunt, et pro unione et compositione humanam efficaciam, et pro

* p. 148.

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Haec videntur supplenda in textu mutilo et turbato. — [4] Ioh., I, 14.

una hypostasi Domini nostri Iesu Christi duas hypostases et personas, et pro sancta Trinitate quaternitatem indecore et inique sentiunt [1]. »

Nonne omnibus evidens est compositionem esse hypostaticam unionem Dei Verbi ad particularem carnem, minimeque *unionem* substantiarum earum, quae secundum genericam significationem et secundum communitatem agnoscuntur? Non enim quia secundum substantiam Pater et Spiritus sanctus uniuntur Verbo incarnato,* ideo censebitur componi cum carne ex Maria *orta* tum Patrem tum Spiritum sanctum. Neque rursus quia corpus illud anima menteque praeditum, quod Verbo unitum est, corpori omnium hominum est homogeneum atque consubstantiale, ideo censebimus implicatam esse Verbo atque cum Ipso compositam totam humanitatem. Etenim unio haec, quae per inhumanationem *habetur*, incarnatio vocatur atque compositio. Igitur unionem et incarnationem scrutemur ex quibusnam sint. Evidens est ex una Dei Verbi hypostasi atque ex particulari humanitate perfecte se habente, id est, ex carne anima rationabili et intelligente animata; et ex his ipsis naturis inter se minime homogeneis atque consubstantialibus, quae concurrerunt et compositae sunt ineffabiliter, unum Christum dicimus et unam hypostasim unamque naturam Dei Verbi incarnatam.

* p. 149.

Quod etiam manifesto confirmat egregius doctor Cyrillus in oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium scribendo sic: Cyrillus: « Dei et hominum mediatorem, ut scriptum est, compositum esse dicimus ex nostri simili [2] humanitate perfecte secundum propriam rationem se habente et ex Filio, qui ex Patre secundum naturam apparuit, id est, ex Unigenito. Affirmamus autem factam esse quidem coitionem quandam itemque concursum, verbum exsuperantem, in unionem, naturarum disparium atque inter se dissimilium; verumtamen unum Christum et Dominum et Filium agnoscimus, qui una et est et concipitur Deus simul et homo [3]. » Similiter et in quarto libro de adoratione in spiritu dixit: Cyrillus: « Compositum autem etiam thymiama est; composita enim

[1] *P. Gr.*, XXVIII, 124 et Lietzmann, p. 296. — [2] καθ' ἡμᾶς. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 1157.

ex duobus cognitio de Christo, siquidem simul Deus et homo est; unus tamen * ex utroque Filius et Christus, ad quem alicubi dictum est, et quidem a nobis ipsis: « Unguentum exinanitum nomen tuum [1]. » Rursusque, in libro nono: Cyrillus: « Nam cum Deus esset Verbum, caro factum est. Et compositus est nobiscum Emmanuel, divina natura atque humanitate per unionem omne verbum exsuperantem ineffabiliter congregatis [2]. »

* p. 150.

Si vero dicas, o bone, te asserere unum Christum *esse* « duas naturas unitas et individuas», id est, *duas* substantias secundum genericam significationem atque, ut dixisti, secundum id, quod communiter in omnibus hominibus apparet, — semper enim tua *verba* in memoriam reduco, ne reprehensionem effugias; — et *si* unam quidem naturam intelligas communiter totam divinitatem, quae in Patre et Filio et Spiritu sancto apparet, — nam haec est communitas, — rursus autem unam naturam censeas esse totam humanitatem generice *sumptam; et tandem si* incarnatio et compositio sit unio inhumanationis: quomodo effugies risum et impietatem omnem sensum excedentem, *scilicet* conclusionem ex istis verbis et cogitationibus indecoris *colligendam, nempe* sanctam Trinitatem cum tota humanitate incarnatam esse? Dicis enim, — et non erubescis id ipsum sursum deorsum detorquens, vel potius stultis cogitationibus ipse detortus: — « In duabus substantiis unitis et individuis agnosco et inquiro unum Christum [3] », cum naturas agnoscas *esse* substantias secundum communitatem quae in omnibus intelligitur. Addidisti autem etiam haec, increpando eos, qui tibi contradicunt teque, ut dixisti, bonis et accuratis tuis confessionibus fraudant: Grammaticus: « Nam dicentibus nobis « duas naturas hypostatice unitas », libenter surdi sunt; eradentes ex confessione nostra hanc *locutionem* « hypostatice unitas »,* instantia adversus nos utuntur, quae a confessione nostra longe recedit [4]. »

* p. 151.

Et quis est qui te exuat vel spoliet ab huiusmodi rebus, ex quibus plurimae irrisioni obnoxius es? Oraremus autem prop-

[1] *P. Gr.*, LXVIII, 345; *Cantic.*, 1, 2. — [2] *P. Gr.*, LXVIII, 621. — [3] Locum non repperi. — [4] Item.

ter te ne ita inebriareris atque superbires, neque sentires praeter id, quod sentiendum est, ut alicubi Paulus quoque ad quosdam scribens dicit: « Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis [1] ». At, quia tam insanabilis es, qui perditionis laqueos ad simplicium corruptionem machinationibus celare audeas, tantum aberit ut de tuis *verbis* quidquam resecemus, ut etiam ea tecum congregemus. Namque dualitatem naturarum, quae unum Christum in duo secat, evehis ad substantias secundum communem significationem *intellectas*, dicisque illas unitas esse secundum hypostasim, seu, ut hac etiam voce tua utar, hypostatice. Igitur, explica nobis quomodo istae substantiae, — dico id, quod commune est [2], divinitatis et id, quod commune est [2], humanitatis, — uniantur hypostatice et inter se componantur atque unam hypostasim absolvant: sic enim supra dixisti, definiendo: Grammaticus: « Igitur ubi Patres « naturam » singulariter ponunt, quin « Dei Verbi » addant, tunc substantiam intelligunt [3]. » Rursusque in praecedentibus, statimque iuxta introductoria *verba* mirabilis libelli, istis similia dixisti: Grammaticus: « Sic ergo quando sanctus Cyrillus « naturam » singulariter dicit, quin addat « Dei Verbi », communem divinitatis substantiam significat [4]. » Ideo, sequendo sollertes definitiones tuas, intelligimus *verba* tua, minimeque libenter surdi sumus. Sed cum dicis * absolute, sine ulla adiectione, tuas illas duas naturas hypostatice uniri, id quod commune est substantiarum, ut iussisti, intelligimus. Rursus tuam Prudentiam interrogamus: quomodo id quod commune est divinitatis, quod in Trinitate agnoscitur, ad id quod commune est totamque humanitatis substantiam compositum est? Compositio enim est unio quae in inhumanatione habetur, quaeque etiam incarnatio vocatur. Nam scripsisti: Grammaticus: « Dicentibus nobis « duas naturas hypostatice unitas », libenter surdi sunt, eradentes ex confessione nostra hanc *locutionem* « hypostatice unitas [5] ». Ecce apertis auribus audivimus *verba* tua et accepimus naturas, ubi indefinite proclamantur, significare substantias et id, quod commune significatur [6], quod

* p. 152.

1 II *Cor.*, XIII, 7. — 2 τὸ κοινόν. — 3 Locum non repperi; cfr supra p. 113. — 4 Locum non repperi. — 5 Item. — 6 τὸ σημαινόμενον κοινόν?

est de divinitate quidem sancta Trinitas, de humanitate autem totum hominum genus. Tuis etiam laqueis irretitus deprehenderis in iis, quae in epistula ad Maronem his verbis scripsimus: Severus: « Non enim eo dementiae procedent ut dicant se pro significatione generica, — dico significationem substantiae, — appellatione naturarum uti. Nam si, ut exinde agnoscitur, una quidem natura est sancta Trinitas, una autem natura totius humanitatis, invenietur sancta Trinitas, — ut aliquid dicam, quod valde deridebitur, — toti humanitati, id est, humano generi, inhumanatam. At aliter sacrae Scripturae nos docent: Deum Verbum, unam tantum ex tribus hypostasibus, docent incarnatum et inhumanatum, nam « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [1] ».

Cum haec legisses, o bone, quomodo irrisionem non cavisti, quomodo impietatem non horruisti, sed * dicis duarum substantiarum secundum communem et genericam significationem esse hypostaticam unionem? Et tantum abfuit ut averteris ab opinione tua mala *et* insana, ut etiam illam quasi obiectionis more apponeres, illamque solvere coneris ope falsissimorum syllogismorum, quos perperam struxisti, et iis, quae soluta fuerunt, rursus haud inconcusse inniti.

* p. 153.

Igitur apponatur obiectio itemque subtilis eruditionis tuae strenua solutio: Grammaticus: « Si vero dicitis Christo duas esse substantias, necessario dicendum est et Patrem et Spiritum et, ut summatim dicamus, ipsam sanctam Trinitatem toti humanitati incarnatam esse, id est, humano generi. Istae sunt obiectiones adversariorum. Putant enim divinitatis substantiam divisioni subiacere eiusque partem quidem in Patre, partem autem in Filio, partem autem in Spiritu sancto apparere, ita ut unaquaeque ex hypostasibus in parte, non autem in omnibus iis, quae divinitatis propria sunt, concipiatur. Nos vero non ad tantam impietatem devenimus ut divisionem aut sectionem in divina substantia esse censeamus; sed dicimus omni signatae hypostasi absque imminutione inesse omnes notas divinitatis, *scilicet* bonitatem, efficientiam et omnia, quae increatae naturae sunt. Ita enim et consubstantialem Trinitatem di-

1 Locum Severi non repperi; Ioh., I, 14.

cimus, quatenus eadem substantia perfecte in tribus personis agnoscitur. Nam et Pater habet perfectam divinitatis substantiam, itemque et Filius et Spiritus sanctus; unde, perfectus Deus *est* Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus. Quorum defensor est Paulus, praeco veritatis,* dicens: « In ipso enim habitat tota plenitudo divinitatis corporaliter [1] ». Non enim dicit Patrem incarnatum esse, sed totam in tribus hypostasibus divinitatem absque imminutione esse in Patre, in Filio, in Spiritu sancto, cum in unaquaque hypostasi perfecte sit, iuxta Salvatoris nostri verbum, quod dicit: « Omnia, quae *sunt* Patris, mea sunt », id est, omnes notae, quae sunt substantiae Patris, ipsae Dei Verbi sunt, etiam cum incarnatus est; non quasi Pater sit Filius aut Filius sit Pater, nam ista nomina mutuae cognationis significativa sunt. Quomodo igitur non dicemus substantiam divinitatis absque imminutione in Christo esse, cum perfectum Deum illum dicamus? Quomodo vero, cum perfectum hominem illum confiteamur, non confitebimur totam humanitatis substantiam in illo esse? Non enim, ut dicit Apollinarius, partem ex illa *humanitate* assumpsit, *id est*, carnem sine anima rationali, sed totam *assumpsit* substantiam, quae est caro anima rationali et intelligente animata: haec enim, cum communiter in unoquoque ex hominibus perfecte reperiatur, recte substantia dicitur; nam inter se *homines* singuli seorsum *constituti* separantur non substantia, sed proprietatibus ipsis convenientibus, magnitudine et colore et, ut universim dicam, proprietatibus characterum personarum [2]. »

Ad ista ergo hoc dicimus: Sancta Trinitas neque naturae terminis subicitur, neque prioritate mentis nostrae includitur, propterea quod ignoratur quid secundum substantiam sit, estque supra omnia et super omnem sensum et ne quidem cogitationis nostrae motibus apprehenditur, sed omnem intellectualem phantasiam incomprehensibilitate transcendit et exundat atque latet.* Dicit enim, in secunda oratione theologica, Gregorius, qui ipsius theologiae nomen gerit [3]: [GREGORIUS]: « Una enim circumscriptionis species comprehensio quoque est [4]. »

1 *Col.*, II, 9. — 2 Locum non repperi. — 3 ὁμώνυμος τῆς θεολογίας. — 4 *P. Gr.*, XXXVI, 40.

Quapropter tum supra substantiam tum supra naturam extollunt illam *Trinitatem* cogitationes sollertia subtilissimae et consideratissimae et profundissimae. Dicit enim hic ipse vir theologus, in oratione quidem de monachorum unione, « optimum quidem omnium, quae sunt, et sublimissimum esse Deum, nisi quis malit eum supra essentiam extollere, aut totum ens in eo ponere, a quo et caeteris *obtigit* [1] »; in ea autem oratione, cui inscribitur: « Ad eos, qui ex Ægypto appulerant », scripsit: « Duas principales in iis, quae sunt, differentias cognosco, *nempe* dominationem et servitutem: non quas apud nos vel tyrannis scidit vel paupertas disiunxit, sed quas natura distinxit, si cui ita *naturam* dicere libeat: nam quod primum est, etiam supra naturam est [2]. »

Itaque Trinitas, prior et valde sublimior omnibus, etiam supra substantiam et supra naturam est, minimeque istis nominibus subicitur. At quia, ut dixit Doctor in dicta oratione de theologia, « laborat mens nostra, ut e corporeis rebus egrediatur et nudis incorporalibus adhaereat, quamdiu cum sua infirmitate ea, quae *ipsius* vim superant, speculatur [3] », necessitate *compulsi*, ex sententiis et nominibus paupertatis, quae apud nos reperitur, audemus accedere ad divinas significationes ut exinde obscura minimae comprehensionis aenigmata accipiamus.

Unde, etiam de sancta Trinitate, incomprehensibili et nemini * accessibili, usi sumus nominibus « natura » et « substantia » et « hypostasis », omnibusque *nominibus* his similibus atque vicinis; et accepimus nomen « substantia », quod indicativum est significationis genericae de sancta Trinitate, et diximus unam substantiam esse tres hypostases Patris et Filii et Spiritus sancti, id est, unam divinitatem. Etenim, Deus est Pater, Deus et Filius, Deus et Spiritus sanctus, sicut aliquis diceret Petrum et Paulum et Iohannem unam *esse* humanitatem. Nam homines aequaliter secundum genus et secundum substantiam se habent; separantur autem singularibus characteribus hypostasium. Igitur unaquaeque ex hypostasibus, quae sub genere et substantia sunt, atque sub communi significatio-

1 *P. Gr.*, XXXV, 737. — 2 *P. Gr.*, XXXVI, 248. — 3 *Ibid.*, 44.

ne, — haec enim *communis significatio* est substantia multarum hypostasium comprehensiva, — etiam particeps est omnium, quae in genere communi apparent, aequaliter. Exempli causa, Petrus particeps est huius, quod commune est [1], humanitatis et substantiae, quod est, rationalitas, mortalitas, habilitas ad mentem scientiamque recipiendam; similiter et Paulus et Iohannes, singularibus characteribus distincti minimeque inter se confusi, participes et ipsi sunt huius, quod commune est, substantiae, id est, rationabiles et mortales et recipiendae mentis atque scientiae capaces sunt. Neque quia unicuique ex hypostasibus divise et separate subsistentibus innata est [2] rationalitas et mortalitas atque recipiendae mentis et scientiae habilitas, ideo etiam substantia dividitur: etenim divisio substantiae id est, quod diversae substantiae [3] sit una ex hypostasibus, sive irrationalis, sive immortalis, sive recipiendae mentis atque scientiae minime capax, nam substantiae et generico nomini subtrahitur et dividit id, quod commune est ad homogeneas *hypostases*, ubi similitudinem in omnibus non obtinet.

His autem *institutionibus* ducti et ex paupertate nostra evecti, etiam ad * sanctae Trinitas contemplationem verbis et nominibus utimur, quae corporali quidem crassitudine non vacant, sed tamen significationem, ut fieri potest, nobis praebent sublimis illius et incorporeae et omnia, quae sunt, tenentis virtutis. Mente enim accipimus genericam significationem et substantiam esse divinitatem, sub hac autem substantia comprehendi tres hypostases, Patris et Filii et Spiritus sancti. Paupertati autem nominum indulgendum est, — idem enim saepissime dico. Nam comprehensio circumscriptionis significationem habet, cum divina natura neque circumscripta sit, neque se comprehendi patiatur, neque sub substantia cadat, eo quod supra substantiam sit. Sed cur decet moderate tolerare [4] *hunc dicendi modum?* Quia aliter ea, quae ad ipsum *Deum* pertinent, intelligere aut eloqui nequimus, nisi sententiis verbisque inferioribus et consuetis [5].

* p. 157.

Igitur unaquaeque ex hypostasibus habet etiam id, quod

[1] τοῦ κοινοῦ. — [2] συμπέφυκε. — [3] ἑτεροούσιος. — [4] μετριοπαθεῖν. — [5] τοῖς κάτωθεν καὶ ἐξ ἔθους.

commune est, connotatum in propria distinctaque significatione, quae apud ipsam reperitur. Exempli gratia, Pater habens suam innascibilitatem, quae ipsum distinguit ab aliis et hypostasim eius characterizat, habet etiam commune et genericum illud substantiae et significationis in se connotatum, atque simul ingenitus est *et* est Deus, bonus, lux, vita; similiter et Filius habens proprietatem suae hypostaseos generationem ex Patre, habet etiam illud, quod ad id, quod commune est atque ad substantiam *pertinet* [1], in se connotatum, et est Deus, genitus, bonus, lux, vita; sanctus quoque Spiritus item, habens processionem significativam suae hypostaseos, habet etiam illud genericum, quod ad substantiam et ad singularitatem *pertinet* [2], in se connotatum, et est lux procedens, vita, Deus. *

* p. 158.

Quod rursus discere licet etiam ex institutione sapientis in divinis Basilii. Nam in ea ad canonicam epistula, cuius initium est: « Quantum nos prius afflixerat molestus rumor, qui personuerat in auribus nostris, tantum nos laetificavit religiosissimus episcopus frater noster Bosporius, meliora de vestra pietate enarrans [3] », haec scripsit: Basilius: « Haec igitur luminis ratio, quam quis de Patre reddiderit, etiam Filio congruet: nam lumen verum ad lumen verum, secundum ipsam circa lumen cogitationem, nullam prorsus differentiam habebit. Cum ergo lumen sine principio sit Pater, lumen autem genitum Filius, ac uterque lumen et lumen, consubstantiales iure dixerint [4], ut aequalem dignitatem naturae [5] significarent. Non enim quae fratrum *inter se* relationem habent [6], consubstantialia [tantum] [7] dicuntur, — id quod quidam existimant; — sed etiam cum causa et id, quod ex causa exsistentiam habet, eiusdem naturae sunt, consubstantialia dicuntur. Haec autem vox Sabellii quoque pravitatem corrigit: tollit enim hypostaseos identitatem et perfectam personarum notionem inducit. Neque enim quidquam sibi ipsi consubstantiale est, sed alterum alteri [8]. » His autem similia etiam Gregorius theologus, in oratione de baptismo, sic scripsit: Gregorius: « Hanc

[1] τὸ τοῦ κοινοῦ καὶ τῆς οὐσίας. — [2] τὸ τῆς οὐσίας καὶ τῆς ἑνότητος γενικόν. — [3] *P. Gr.*, XXXII, 392. — [4] In margine: « dixerint alii ». — [5] τὸ τῆς φύσεως ὁμότιμον. — [6] τὰ ἀδελφά. — [7] In margine: « tantum »: quod videtur in textu recipiendum. — [8] *P. Gr.*, XXXII, 393.

do totius vitae participem et patronam, unam divinitatem et virtutem, in tribus singulariter inventam et tria divise comprehendentem, neque substantiis aut naturis inaequalem, neque in praestantiis et submissionibus laudatam, * undequaque aequalem, undequaque eandem, sicut unam caeli pulchritudinem et magnitudinem, trium immensorum immensam concretionem [1], Deum unumquodque eorum secundum se cognitum, Deum tria simul concepta, illud propter consubstantialitatem, hoc propter monarchiam [2]. » Id autem, quod Deus unusquisque eorum seorsum appareat, divisionem substantiae non esse, sed *divisionem substantiae esse* id, quod una ex hypostasibus alienae et dissimilis minimeque eiusdem naturae sit, idem rursus Gregorius illustrat, in oratione ad eos, qui *ex Ægypto* appulerant, haec enarrando: Gregorius: « Quisquis autem alienus est a Deo et ideo unam illam omnibus, quae sunt, superiorem substantiam in naturarum disparilitatem secat, mirum fuerit, si non ipse gladio dissecetur, parsque eius cum infidelibus ponatur pravum pravae sententiae fructum et nunc et postea decerpentis [3]. » Similiter etiam in oratione de Spiritu sancto scripsit: Gregorius: « Nobis unus Deus, quia una divinitas, atque ad unum ea, quae ex eo sunt, relationem habent, licet tria credantur. Neque enim unum magis et aliud minus Deus, neque unum prius et aliud posterius; neque voluntate dissecatur, neque virtute dividitur, neque quidquam eorum, quae apud dividua reperiuntur, hic quoque assumi potest; sed divinitas individua in dividuis, si paucis dicendum sit, et velut in tribus solibus inter se cohaerentibus una lucis commixtio [4]. » Rursusque circa finem ipsius orationis dicit: [Gregorius]: « Neque tria principia divisa quasi deos multiplicando [5] admittantur: paris enim impietatis est et Sabellii more coniungere et Arii more disiungere [6]. »

Igitur, cum haec ita se habeant et institutio * tantorum deiferorum virorum atque mystagogorum ex sanctae Scripturae verbis nos edoceat genitum lumen, Filium et Verbum, quod secundum hypostasim aliud est ac ingenitum lumen Pater pro-

[1] συμφυΐα. — [2] *P. Gr.*, XXXVI, 417. — [3] *P. Gr.*, XXXVI, 249. — [4] *Ibid.*, 148. — [5] πολυθέως. — [6] *P. Gr.*, XXXVI, 168.

cedensque lumen Spiritus sanctus, incarnatum esse et inhumanatum atque hypostatice unitum carni animam rationabilem habenti, unum illum inter tres solem et non tres simul, sed illum, qui a Patre principio exsistentiam habet, non autem ipse est principium, qui neque Deus a se apparet: quomodo non dicemus unius Dei Verbi hypostaseos ad unam carnem evidenter anima menteque praeditam unionem factam esse, non autem *unionem* substantiarum, quae omnium hypostases in communitate comprehendunt? Etenim Filius una est hypostasis ex iis, quae substantiae subiacent et in generica significatione sunt; substantia autem et generica significatio, id est, divinitas, comprehensiva est trium hypostasium, Patris et Filii et Spiritus sancti, cum unaquaeque ex hypostasibus perfecte particeps sit rationis substantiae, sitque Deus.

Rursus autem ob paupertatem nominum, ut nobis propitius fiat precamur eum, qui supra omnia est, quia ipse per substantiam bonus est: cuius omnia participia sunt, dum ipse, utpote perfectus, nullius est particeps. At quia fieri non potest ut ad divinas sententias aliter accedamus, ope verborum apud nos consuetorum demonstrationes facimus. Sic enim sanctus quoque Basilius, in epistula ad Terentium, sermonem de divina substantia *proficiscendo* ab humanitate nostra indicat, sic scribendo: Basilius: « Si autem oporteat breviter dicamus quid et ipsi sentiamus, id dicemus, *scilicet*, quae ratio est communi ad proprium, eam esse substantiae ad hypostasim. Nam unusquisque nostrum * etiam per communem substantiae rationem esse participat, et per proprietates sibi adstantes ille et ille existit. Ita et illic substantiae quidem ratio communis est, exempli gratia, bonitas, divinitas, aut si quid aliud concipitur; hypostasis autem in proprietate paternitatis vel filiationis vel virtutis sanctificantis perspicitur [1]. »

Sicut ergo apud nos humanitas tota substantia comprehendit multas hypostases, nempe Petri et Pauli et Iohannis ceterorumque omnium, Petrus autem et Paulus et Iohannes hypostases sunt ipsam substantiam aeque participantes, — nam unusquisque eorum perfecte et absque imminutione humanitatem parti-

[1] *P. Gr.*, XXXII, 789.

cipat et est homo, proprioque charactere distinguitur et cum consubstantialibus hypostasibus coniungitur absoluta similitudine et carentia diversitatis generis et huius, quod commune est, sed ipse non est tota substantia et humanitas, quae unamquamque ex hypostasibus comprehendit: ita etiam quod ad sanctam Trinitatem pertinet, substantia quidem est tota divinitas trium hypostasium Patris et Filii et Spiritus sancti comprehensiva, unaquaeque vero ex hypostasibus participat etiam substantiam per aequalitatem dignitatis et est perfecte Deus, atque ad consubstantiales hypostases nullam differentiam habet, et propria notione, innascibilitate et generatione et processione *ab aliis* separatur et dividitur, servante proprietate immunitatem a confusione.

Itaque Filius, qui unitus est carni ratione et anima praeditae et inhumanatus est, una est hypostasis ex iis *hypostasibus*, quae in ipsa divinitatis substantia reperiuntur, non autem *est* tota substantia atque divinitas trium hypostasium comprehensiva atque huius, quod commune est, significativa. Cur ergo ineruditum auditum a te verborum * mutatione et subreptione seducendum et decipiendum esse putas, o sapiens, scribendo: GRAMMATICUS: « Quomodo igitur non dicemus substantiam divinitatis sine defectu esse in Christo, ubi eum perfectum Deum esse dicimus? Quomodo autem perfectum quoque hominem illum confitentes, non confitebimur in eo esse totam humanitatis substantiam? Non enim partem illius *humanitatis* assumpsit, ut Apollinarius dixit, *scilicet* carnem absque anima intelligente [1]. » Insuper recordare sapientis Basilii verba, quae tu quoque apposuisti, ea non intelligens sed intellectum habens ignorantia et impietate obrutum; *verba*, dico, quae in epistula ad Terentium sic reperiuntur: BASILIUS: « Nam unusquisque nostrum etiam per communem substantiae rationem esse participat et per proprietates sibi adstantes ille et ille exsistit [2]. »

* p. 162.

Igitur unaquaeque ex hypostasibus id, quod commune est, substantiae perfecte participat, sed ipsa non est tota substantia et generica significatio, quae omnes omnium hypostases com-

1 Locum non repperi. — 2 *P. Gr.*, XXXII, 789.

prehendit. Exempli gratia [1], Petrus id, quod commune est, humanitatis participat et est quidem perfectus homo, minime vero *est* id ipsum, quod commune est, et ipsa substantia totaque humanitas. Ita et Deus Verbum id, quod commune est, substantiae participat et est perfectus Deus, sed non ipse est id, quod commune est et tota substantia atque divinitas, quae tres hypostases comprehendit; et cum immutabiliter homo factus est, sibique unam carnem rationabiliter animatam hypostatice univit, perfecte participavit id, quod commune est, humanitatis et substantiam nostram, humanitatem *vero* et id, quod commune est, et genericam significationem, quae omnes hypostases omnesque homines comprehendit, sibi hypostatice non univit neque al illam compositus est. *

* p. 163.

Proinde manifestum est Christum, cum sit idem perfectus Deus et perfectus homo, unam hypostasim esse ex iis, quae in divinitatis substantia comprehenduntur, non autem totam divinitatem atque substantiam, quae tres hypostases comprehendit; et cum sit una hypostasis etiam incarnata, non totam humanitatis substantiam, quae omnes omnium hypostases comprehendit, sibi hypostatice univit, sed unam carnem anima menteque praeditam, quae substantiae et nomini generico humanitatis subiacet. Igitur non tota substantia divinitatis, quae generice et communiter tres hypostases comprehendit, neque rursus tota substantia humanitatis, quae in communi notificato omnes homines comprehendit, inter se unitae sunt et absolverunt unam Christi hypostasim.

Frange ergo calamum impietatis, quae audet quidem dolose agere, sed in extremam stultitiam decidit, et scribit: GRAMMATICUS: « Quomodo autem cum perfectum quoque hominem Christum confiteamur, totam humanitatis substantiam in ipso esse non confitebimur [2]? » Non enim totam humanitatem et substantiam et id, quod commune est, et genus, Deus Verbum sibi hypostatice univit, sed cum assumpsit unam carnem, quae substantiae generique totius humanitatis subiacet, id est, *carnem* anima intelligente animatam, plene perfecteque humanitatem participavit et nobis secundum carnem consubstantialis factus

1 οἷον φέρε εἰπεῖν. — 2 Locum non repperi.

est, quaemadmodum scriptum est eum similiter nobiscum participasse iisdem, nobisque assimilatum esse per omnia absque peccato[1], qui secundum divinitatem Patri et Spiritui consubstantialis est. Quo igitur evadunt tibi terricula ista, quibus simplices tanquam pueros terrendos esse putasti, cum diceres: GRAMMATICUS: « Non enim partem ex illa *humanitate* assumpsit, ut * Apollinarius dixit, *scilicet* carnem absque anima rationabili, sed *assumpsit* totam substantiam, quae est caro anima intelligente et rationali animata: hoc enim, cum communiter in omnibus hominibus perfecte reperiatur, iure substantia dicitur[2]. »

* p.164.

Ideo, scito, o sapiens, — eadem enim saepissime infundimus[3] tibi impietate inebriato atque volénti etiam ineruditos vertiginis tuae participes efficere, — unumquemque nostrum huius, quod commune est, substantiae perfecte et non ex parte participem esse, sicut docuit sapiens in divinis Basilius, cum ad Terentium, scriberet, *scilicet* rationalitatis, mortalitatis, facultatis *accipiendi* mentem ac scientiam, non autem ipsum esse totam substantiam et genericam significationem, quae comprehendit omnes omnium hypostases rationales, mortales, ad mentem scientiamque *accipiendum* aptas: hoc enim est quilibet homo. Igitur ipsum quoque Dei Verbum perfecte id, quod commune est, substantiae participavit, cum unitum est uni carni animam rationabilem habenti, non autem toti substantiae omnique carni rationaliter animatae incarnatum est: ad hoc enim ducunt te verba tua, dum dicis: GRAMMATICUS: « sed *assumpsit* totam substantiam, quae est caro anima intelligente et rationali animata[4] ». Aliud enim est τό dicere omnem hypostasim generi atque substantiae subiacentem perfecte participem esse huius, quod commune est, in substantia perspecti, atque aliud τό vocare eam totam substantiam. Nam tota substantia est quaedam generica significatio multarum hypostasium comprehensiva, hypostasis autem substantiam perfecte participat, sicut etiam unaquaeque ex hypostasibus homogeneis; non autem unaquaeque hypostasis, propterea quod * substantiam perfecte participat, vocatur tota substantia, quae omnes hypostases ad modum generis includit. Numquid enim anima Pauli, substantiae rationalitatem et mentis scientiaeque *accipiendae* facultatem participans, censebitur tota rationalium animarum substantia esse, quia et ipsae id, quod commune est, substantiae similiter participant, et ideo ad Pauli carnem putabimus omnes animas concretione[1] uniri? Aut versa vice, quia caro Pauli habet homogeneitatem seu consubstantialitatem cum aliis humanis carnibus et perfecte participat id, quod commune est, substantiae, ideo eam totam ipsarum carnium substantiam esse putabimus, et omnem hominis carnem ad animam Pauli compositam esse censebimus? At dementia est manifestaque insania ita sentire! Nam si unaquaeque ex hypostasibus, propterea quod id, quod commune est, substantiae participat, tota substantia esse censeatur, confunditur atque corrumpitur a nobis sermo de substantia et hypostasi, nihilque est quod utrumque *sermonem* et differentiam discernat, iamque non est illa quidem *vox* communitatis, haec autem proprietatis significativa.

* p. 165.

Igitur eodem modo etiam Dei Verbum, cum una hypostasis sit et habeat id, quod commune est, substantiae[2], id est, divinitatis, in se perfecte concretum, et ideo perfectus Deus sit, non *tamen* est tota divinitas atque substantia trium hypostasium comprehensiva; neque rursus quia in Patre et Spiritu sancto id, quod commune est, substantiae concretum est, et etiam Pater perfecte est Deus, itemque Spiritus perfecte Deus atque consubstantialitatis ratione coniunguntur, *ideo* totam divinitatis substantiam dicemus unitam esse * illi ex Maria carni animam rationalem habenti; neque rursus, vice versa, quia caro anima menteque praedita Dei Verbi incarnati, quod commune est, substantiae et genericam omnium humanitatem plene et perfecte participat, illam esse totam substantiam et hominum genus cogitabimus, ita ut censeatur, iuxta ineruditam garrulitatem[3]. tuam, totam humanitatis substantiam esse in *Verbo*, et ipsum *Verbum* generatim toti humanitati incarnatum censeatur.

* p. 166.

[1] Cfr *Hebr.*, II, 14, 17; IV, 15. — [2] Locum non repperi. — [3] tanquam aquam per caput. — [4] Locum non repperi.

[1] συμφυΐα. — [2] τὸ τοῦ κοινοῦ τῆς οὐσίας. — [3] στομαργία?

CAPUT DUODEVICESIMUM

Investigatio confutationis clare significans hanc assertionem: « Christus est in duabus substantiis secundum communem substantiae significationem » ad stultissimam ducere blasphemiam, *scilicet* ad id, quod sancta Trinitas toti humanitatis generi incarnata censeatur.

Hoc re vera est, quod a sapiente Paulo dictum est: « Adulterantes verbum veritatis [1] », rursusque: « Adulterantes verbum Dei in nequitia hominum, in astutia circumventionis erroris [2] » ut, sicut scriptum est, parvuli fluctuent et circumferantur omni vento doctrinae [3]. Iste enim egregius, dicendo se confiteri hypostaticam substantiarum unionem, dicendoque Christum « in duabus naturis », confessus est eum « in duabus substantiis » esse. Et aliquando quidem scripsit: GRAMMATICUS: « Sic ergo quando sanctus Cyrillus « naturam » singulariter dicit, quin addat « Dei Verbi », communem divinitatis substantiam significat [4] »; aliquando autem rursus addit: « Si ergo duae substantiae immutabiliter et * inconfuse permanserunt ubi vera et hypostatica unione unitae unam personam unamque Christi hypostasim absolvunt, quomodo non dicit [5] duas in Christo substantias [6]? » multaque his similia adiunxit. Postea vero, cum vidit verbum suum in id incidere, quod istae substantiae id, quod commune est, significent multasque hypostases comprehendant, ita ut deveniat ad necessitatem dicendi sanctam Trinitatem toti humanitati incarnatam esse, conatus effugere stultum errorem, in quem seipsum praecipitavit, dicit: « Non dico incarnatum esse Patrem aut Spiritum sanctum, sed dico divinitatis substantiam absque defectu in Christo esse, ubi dico eum perfectum Deum esse; cumque eum perfectum hominem confitear, totam humanitatis substantiam in eo esse dico; sicque rursus duarum substantiarum unionem in Christo haberi dico [7]. »

* p. 167.

At deprehensus est qui per circuitum et flexuosissimum [8] dolum ad eandem blasphemiam revertatur, quemadmodum ora-

[1] II *Cor.*, IV, 2. — [2] Cfr II *Cor.*, II, 17 et *Ephes.*, IV, 14. — [3] Cfr *Ephes.*, IV, 14. — [4] Locum non repperi. — [5] scilicet, Cyrillus. — [6] Locum non repperi. — [7] Item. — [8] πολύκαμπτος.

tio in modo consideratis ostendit, cum machinationum eius malitiam expandit. Christus enim non est tota divinitatis substantia, sed una hypostasis substantiae divinitatis in Trinitate perspectae et intellectae: quae *hypostasis* est Filius, Verbum immutabiliter incarnatum uni carni anima menteque praeditae, quam ex deipara Virgine per hypostaticam unionem assumpsit, in qua Patrem ostendit [sicut imago ostendit] exemplar et sicut verbum hypostaticum intellectum, qui ipsum genuit, cum accuratione ostendit, non autem tanquam effusa in ipso hypostasi Patris: hoc enim impiae Sabellii et Marcelli mixtionis est. * Sic etiam Spiritus sanctus in se ostendit Filium, cum adhaereat quodammodo Verbo et a Patre procedat, et ideo dicitur et Spiritus Dei, nempe Patris, et Spiritus Christi. Etenim Paulus scripsit, ad Corinthios quidem: « Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est [1] », ad Romanos autem rursus: « Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est Eius [2]. » Et Gregorius, miraculorum in Christo *factorum* homonymus [3], in fide per Iohannem evangelistam et deiparam Mariam ipsi revelata, dixit sic: « Unus Spiritus sanctus, ex Patre exsistentiam habens et per Filium manifestatus, scilicet hominibus, imago Filii perfecti perfecta [4]. »

* p. 168.

Hoc autem non est divinitatis Spiritus demissio, sed accuratus ordo theologiae, sine qua fieri non potest ut scientiam divinitatis [5] habeamus, idque quantum adipiscimur. Nam prorsus necesse est nos Spiritus sancti lumine ad adeptionem duci; scripsit enim deifer Basilius, in epistula de Spiritu sancto ad Amphilochium, in capite vicesimo sexto, hoc modo: BASILIUS: « Itaque adoratio in Spiritu mentis nostrae operationem velut in luce factam indicat, ut ex dictis ad Samaritanam discere potes. Cum enim in loco esse adorationem regionis consuetudine decepta existimaret, Dominus noster eam dedocens, in Spiritu et veritate adorare oportere dixit, nimirum seipsum veritatem dicens. Quemadmodum igitur in Filio dicimus adorationem, velut in imagine Dei et Patris, sic *et* in Spiritu tanquam in seipso Domini divinitatem ostendente. Ideo et in ado-

[1] I *Cor.*, II, 12. — [2] *Rom.*, VIII, 9. — [3] Id est, propter θαύματα cognominatus ὁ θαυματουργός. — [4] *P. Gr.*, X, 985. — [5] In margine: « Trinitatis ». —

*p. 169. ratione Spiritus * a Patre et Filio minime distat. Nam si extra illum sis, nullo pacto es adoraturus; si vero in illo fueris, nullo modo eum separabis a Deo, nihilo magis quam a visibilibus removebis lumen; impossibile siquidem est cernere imaginem invisibilis Dei, nisi in lumine Spiritus, et qui imaginem intuetur, fieri non potest ut removeat ab imagine lumen. Quod enim videndi causa est, necesse est ut cum iis, qui cernuntur, videatur. Itaque proprie et congruenter per illuminationem quidem Spiritus splendorem gloriae Dei videmus, per characterem vero ad eum, cuius est character et eiusdem formae [1] sigillum subvehimur [2]. »

Ex his ergo discimus non esse hypostasium confusionem in sancta Trinitate, sed unamquamque ex hypostasibus in divinitatis substantia cum propria significatione esse: per id quidem, quod commune est, substantiae habet ad consubstantiales hypostases nullam differentiam et in omnibus similitudinem et unum idemque esse; per proprietatem autem *habet* immunitatem a confusione, ita ut propter illam in omnibus aequalitatem huius, quod commune est, videantur et agnoscantur in unaquaque ex hypostasibus etiam aliae, quae eandem substantiam participant. Ad id enim nos ducit etiam illud ab ipso Domino dictum: « Qui vidit me, vidit Patrem [3] », quemadmodum sanctus quoque Iohannes, episcopus constantinopolitanus, in expositione evangelii Iohannis, hanc ipsam sententiam explanando, scripsit sic: IOHANNES: « Quia enim id ipsum est quod Pater, dum manet Filius, iure in seipso genitorem suum ostendit. Postea vero, separando hypostases dixit: « Qui vidit me, vidit Patrem », ne quis diceret ipsum Patrem

*p. 170. et ipsum Filium. Nam si * esset Pater, non diceret: Qui vidit me, ipsum vidit [4] ». ET POST PAUCA RURSUS: « Philippus enim ex visu cognitionem quaerebat, et quia se ipsum vidisse putabat, volebat autem et Patrem sic videre, ostendit se ne ipsum quidem vidisse. Quod si quis dicat hic visionem *esse* cognitionem, neque contra hoc disputabimus: qui enim me novit, ait, novit et Patrem. At non hoc dicit, sed cum vellet consubstantialitatem ostendere, dixit: Qui substantiam meam cognoscit, et Patris substantiam cognoscit [1]. » Numquid ergo qui haec dicit tibi videtur Patris et Filii substantiam dissecare, aut ostendere omnem hypostasim esse in divinitatis substantia, cum habeat concretam in se proprietatem suam, et propterea quod ad consubstantiales hypostases nullam differentiam habeat, eam dici cum illis unam eandemque substantiam participare, quia una est supra omnes homogeneas hypostases substantia? Sic enim et unusquisque nostrum est in humanitatis substantia, propriis characteribus discretus, et propter homogeneitatem hominum, qui eandem substantiam participant, unius substantiae cum illis esse creditur, propterea quod eadem substantia omnes simul aequaliter comprehendit; neque tamen omnis hypostasis, propterea quod in humanitatis substantia est, censetur esse tota humanitas, quae super omnes *hypostases* extenditur *et* omnium hypostasium est comprehensiva.

Aliud autem etiam sciendum est: paternitas sive innascibilitas et generatio et processio non sunt inania nomina neque relationes rebus orbatae, ut alicubi dicit Gregorius theologus [2], sed paternitas naturaliter exsistens [3] in divinitate, ita ut sit Pater Deus, et filiatio seu generatio naturaliter exsistens * in divinitate, ita ut sit Filius seu Proles Deus, itemque processio naturaliter exsistens in divinitate, ita ut sit Deus Procedens, Spiritus sanctus. *p. 171. Et si lumen rursus dicas, aut aliud quid ex iis, quae communia sunt, lumen intellige ingenitum, et lumen genitum et lumen procedens, tria lumina in hypostasibus: neque enim unum *est* secundum hypostasim lumen trinomine, quod modo quidem ad id quod esset vel censeretur Pater, modo autem ad id quod esset vel censeretur Filius, modo vero ad id, quod esset vel censeretur Spiritus sanctus, transferretur, sed tria lumina sunt in hypostasibus. Ideo unum lumen est et agnoscitur atque creditur, propter participationem substantiae et absolutam similitudinem et identitatem, et unam voluntatem et unam efficientiam et unum communicationis splendorem ex illis illucescentem, qui fulget super beneficio participationeque dotatos.

[1] ἰσότυπος. — [2] *P. Gr.*, XXXII, 185. — [3] Ioh., XIV, 9. — [4] *P. Gr.*, LIX, 400.

[1] *P. Gr.*, LIX, 401. — [2] Cfr *P. Gr.*, XXXV, 749 vel 1072. — [3] πεφυκυῖα.

Hoc Gregorius theologus, in oratione de Spiritu sancto, dixit: GREGORIUS: « velut [in] tribus solibus inter se cohaerentibus una lucis commixtio [1] »; sanctus autem Basilius, in epistula ad canonicam, ut supra apposuimus [2], scripsit: BASILIUS: « Cum ergo lumen sine principio sit Pater, lumen autem genitum Filius, ac uterque lumen et lumen, consubstantialitatem iure dixerint, ut aequalitatem dignitatis naturae indicarent [3]. » Cum autem ad Amphilochium *epistulam* mitteret, de impio Sabellio haec dixit: « Qui et ipse multis in locis confundens notionem, conatur separare personas, et eandem hypostasim dicit pro usu occurente semper * transformatam [4].» Sapiens autem Iohannes, episcopus constantinopolitanus, cum explanaret venerandum homonymi sui evangelium, in oratione septuagesima quarta, explicando sententiam: « Credite in me, quia ego in Patre et Pater in me *est* [5] », haec scripsit: IOHANNES: « Oportebat quidem vos, audientes Patrem et Filium, nihil aliud quaerere ad ostensionem cognationis [6] secundum substantiam. Si vero hoc non satis est vobis ad ostendendam honoris aequalitatem et consubstantialitatem, saltem ex operibus discite [7]. » RURSUSQUE, IN ORATIONE SEQUENTI: « Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, id est, alium qualis ego sum. Erubescant etiam ii, qui Sabellii morbo laborant et ii, qui de Spiritu non eandem congruam sententiam habent. Nam et ipsum vocis miraculum ita est, ut haereses e diametro oppositas uno ictu deiciat. Etenim dicendo quidem « alium » hypostasium differentiam, dicendo autem « Paracletum » substantiae cognationem, ostendit [8]. »

* p. 172.

CAPUT UNDEVICESIMUM

Demonstratio absolvens ea, quae in superiori capite considerata et ostensa sunt, *scilicet qua ostenditur* eandem parari blasphemiam hac assertione: « In Christo habetur tota divinitatis substantia totaque humanitatis substantia », atque eum minime dividere substantiam divinitatis, qui non ita turpiter sentit.

1 *P. Gr.*, XXXVI, 149. — 2 Supra, p. 123. — 3 *P. Gr.*, XXXII, 393. — 4 *Ibid.*, 884. — 5 Cfr IOH., XIV, 11. — 6 τῆς συγγενείας. — 7 *P. Gr.*, LIX, 402. — 8 *Ibid.*, 403.

Si ergo genitum lumen Filius est, in se tanquam in imagine ostendens ingenitum lumen Patrem, neque confunditur cum ipso hypostasis genitoris, et alius est paracletus praeter Spiritum sanctum, et ab eo separatur * et differt secundum hypostasim, sed propter absentiam differentiae communis substantiae in eo tanquam imago et videtur et intelligitur Filius, qui incarnatus et inhumanatus est: quamnam putas fieri divisionem huius sanctae Trinitatis et unius substantiae divinitatis, quae aequaliter et similiter et immutabiliter in tribus hypostasibus est? Numquid enim ex eo quod Deus Verbum tulerit unionem ad carnem anima menteque praeditam illum impie dicemus in diversitatem substantiae delapsum, aut a sua aeternitate vel gloria vel regia dignitate vel virtute vel voluntate discessisse? Haec est enim substantiae divisio, sicut iam antea ostensum est per inspiratam vocem Doctorum. Sed nihil huiusmodi passus est Filius, quia Deus est et semper est et apud Deum est et nunquam separatur, secundum substantiae cognationem, a Patre vel a Spiritu, propterea quod, manendo id, quod erat, immutabiliter et infinite, assumpsit id, quod non erat, id est, humanitatem nostram, in coniunctione atque unione secundum hypostasim, ineffabiliter et sicut ipse *solus* novit. Quaenam ergo est divisio, quam suspicatus es? Explica nobis, o Grammatice: numquid id divisionem et sectionem substantiae *esse* suspicaris, quod non confitemur totam substantiam, id est, divinitatem, trium hypostasium comprehensivam, incarnatam esse? Ad illud enim pro te spectat id, quod dicis, *scilicet*, inhumanationis unionem « duarum substantiarum » et « secundum communem notionem » *esse*, ita ut sancta Trinitas censeatur incarnata toti humanitati atque substantiae totius generis nostri. Iterum enim istud absurdum occurrit tibi, qui in inopia ratiocinationum tuarum tanquam in angustiis includeris. At, dum refugis a dicendo ipsum Patrem aut Spiritum * sanctum incarnatum esse asserisque in Filii hypostasi totam divinitatem esse, scito te inscium in eandem impietatem delabi. Non enim ipse *Filius* est tota divinitas, sed una hypostasis ex tribus hypostasibus, in quibus *est* tota divinitas. Nam neque Patris neque sancti Spiritus hypostasis cum ipso *Filio* confunditur. Etsi enim in Filio sicut in viva et indifferenti imagine manifesta-

* p. 173.

* p. 174.

tur et videtur ipsum exemplar [1], quod est Pater, non ideo tamen ipsa imago non alia est secundum hypostasim ac exemplar, aut in unam hypostasim utrumque contrahitur. Cuius namque erit imago, nisi exemplar sit secundum hypostasim separatum, ad quod imago etiam habet indifferentiam summae similitudinis? Nihil enim imago est sui ipsius, sed prorsus alterius, quemadmodum etiam consubstantiale aliquid cuidam alteri, non autem sibimet, dicitur, ut sapiens quoque Basilius ad canonicam scribens dixit: BASILIUS: « Neque enim quidquam sibi ipsi consubstantiale est, sed alterum alteri [2]. »

Vanis igitur labiis putas te honorare pietatem cum dicis: « non quasi Pater sit Filius aut Filius sit Pater [3] », quemadmodum deprehenderis confundens hypostases dicendo: « Est in Christo tota divinitas totaque humanitas [4] », sicque impie colligens Christum esse in duabus substantiis secundum genericam significationem, ut ex illa subtili confusione inveniatur totam divinitatis substantiam, quae est sancta Trinitas, toti humanitatis substantiae totique humano generi incarnatam esse. Haec est enim generica substantiarum significatio, quod nempe substantia multarum hypostasium sit comprehensiva, non autem quod una hypostasis * cum homogeneis hypostasibus eandem substantiam participet, sicut ille homo *participat* humanitatem; sin minus, invenietur hypostasim etiam esse substantiam, quia substantiam participat: quod simul maxime ridiculum est et proxime ad impietatem accedit. Sicque tibi qui, ut opinio est, sapienter te gessisti, ut dixit Michaeas propheta, fiet nox ex visione et tenebrae ex divinatione, — nam ista tua sunt divinatio et coniectura periculi, — tibique occidit sol et obscuratus est super te dies, et confusio, quasi videntes somnia: nam somnia etiam sunt tenebrosae sententiae tuae, quae etiam deridebuntur et contra quas omnes loquentur, quia non erit, qui eas audiat [5]. Et idem passus es, dum mutaris et ad impietatem te convertis et insaniae reprehensionem effugis rursusque in eam delaberis, quod ille quoque *passus est*, de quo alius quidam ex prophetis dixit: « Quomodo *si* fugiat

* p. 175.

[1] πρωτότυπος. — [2] *P. Gr.*, XXXII, 393. — [3] Locum non repperi. — [4] Item. — [5] Cfr MICH., III, 6-7.

homo a facie leonis et incidat in ipsum ursus, et prosiliat in domum suam et applicet manum suam parieti et mordeat eum coluber [1]. »

CAPUT VICESIMUM

Cyrilli de substantia et hypostasi doctrina, qua detegitur impietas et amentia et blasphemia.

Audi vero, — si tamen velis: nam rursus submissa voce ad te loquemur, — ea, quae *habentur* ex inspirata voce Patrum, eximiique doctoris Cyrilli docentis identitatem substantiae in sancta Trinitate non inducere hypostasium commixtionem, substantiamque singularum hypostasium * comprehensivam esse. Scripsit enim in prima oratione tractatus de sancta et consubstantiali Trinitate ad quendam Hermiam dictati, *et* per interrogationem et responsionem compositi, sic: CYRILLUS: « Sed naturalem et ineffabilem habet unitatem, non confusionem quamdam inter se sufferentibus hypostasibus, sicuti nonnullis visum est, ut idem sit Pater ac Filius, sed utroque exsistente et subsistente atque propriam exsistentiam habere dicto, substantiae identitas unitatem servat. — B. In propria igitur substantia dicis Filium esse praeter *substantiam* Patris? — A. Non utique in substantia alia praeter eam quae *est eius* ut Dei, sed in hypostasi quae ut Filii. — B. Aliud igitur est substantia et aliud hypostasis? — A. Etiam. Multum enim est quod discrepat et intercedit, siquidem substantia singularium comprehensiva est. — B. Quomodo dicis? Tardus enim, ut constat, in talibus sum ego. — A. Numquid nescis mihi quoque haud tritum esse sermonem de istis rebus? Attamen accedendum est ad inquisitionem, ut fieri potest, velut in quadam imagine, cum divina eminentia in celsissimis sublimitatibus sit. Itaque substantiae significatio de aliqua re communi videtur esse; hypostasis autem nomen de unoquoque ex iis, quae subsunt huic communi, praedicatur ac dicitur. Puta autem me nunc illud ostendere. — B. Cuiusmodi illud? — A. Definimus hominem animal rationale et mortale, tanquam ratione ipsi

* p. 176.

[1] AM., V, 19.

convenienti ipsum describentes; atque hanc dicimus esse substantiae definitionem, quae ad unumquemque eorum, qui singillatim subsistunt, transit. Igitur sub hoc communi, id est, homine * seu hominis definitione, cadunt quidem, ut puto, Thomas ac Marcus, vel, ut dici potest, Petrus ac Paulus. Et substantiam sic significet quis; eorum autem, qui singillatim concipiuntur, nondum manifestam et claram significationem fecit. Nondum enim quidquid simpliciter homo est, id Petrus et Paulus est. Dicendo vero Thomam vel Petrum, a definitione quidem hominis non removet quis eum, qui intelligitur, — homo enim nihilo minus est; — sed in tali quadam specie et in speciali hypostasi atque partitim existentem ostendit. Substantia ergo de omni homine, utpote communem generis rationem parturiens, hypostasis autem de uno convenientius intelligetur, non a communitate excludens id, quod intelligitur, neque rursus *illud* confundens et miscens cum [alio], ita ut iam non appareat id, quod singulariter et specialiter se habet [1]. »

* p. 177.

Cum igitur substantia, ut audisti a Doctore, singularium hypostasium, quae sub ipsa cadunt, propter homogeneitatem comprehensiva sit, utpote communem generis rationem parturiens, desine blasphemare atque impie sentire substantiarum esse unionem hypostaticam, quae est incarnatio Dei Verbi, unius ex tribus hypostasibus, non commixtae cum consubstantialibus hypostasibus, Patris nempe et Spiritus sancti, sed separatim subsistentis, etsi coniunctae cognatione substantiae; *quae Filii hypostasis* incarnata est uni carni anima menteque praeditae, quae ex sancta semper virgine Deipara Maria *orta est, et* quae sub substantia totius humanitatis cadit et consubstantiales * habet nos omnes, qui sub hoc ipso genere et hac ipsa substantia disponimur. Etenim de semine Abrahae apprehendit et similis factus est nobis in omnibus, nobis et fratribus suis absque peccato [2]. Nam hypostasis, *etsi* ipsam substantiam plene atque perfecte participat et a substantiae terminis non excluditur, eodem autem modo eam participat quo ceterae congeneres hypostases, non ideo *tamen* censetur *esse* tota substantia omnium hypostasium comprehensiva. Namque substantia qui-

* p. 178.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 697. — [2] Cfr *Hebr.*, II, 16, 17; IV, 15.

dem habet communem generis rationem, cum comprehendat omnem hypostasim homogeneitate inclusam; hypostasis autem speciei locum tenet, quatenus distincte et separate subsistit sed substantia comprehenditur et ad illam cum sibi homogeneis *hypostasibus* refertur: ipsa vero nihil comprehendit, neque consubstantiales hypostases secum confundit et miscet propterea quod cognatione cum illis colligatur.

Igitur ostensum est iis, quae examinata sunt, atque deiferorum doctorum testimoniis quasi sigillo confirmatum, in divina incarnatione et inhumanatione non substantiarum factam esse hypostaticam unionem et compositionem naturalemque congregationem, sed unius hypostasis Dei Verbi ad unam carnem, evidenter anima rationali animatam: nam substantiae secundum communem significationem multarum hypostasium sunt comprehensivae. Cum autem ubique confessus fueris Emmanuelem in duabus naturis, id est, substantiis unitis agnosci, atque dixeris substantias non *tanquam* speciales hypostases, sed secundum communem significationem, a te intelligi: id, quod colligitur, nihil aliud est, nisi te asserere hanc substantiam trium hypostasium comprehensivam toti humanitatis substantiae, singulos et omnes homines complectenti, incarnatam esse.*

* p. 179.

CAPUT VICESIMUM PRIMUM

Quod, ubi ex duabus naturis Emmanuelem recte confitemur, neque ex duabus substantiis dicimus *eum*, quatenus in coniunctione et secundum substantiae communitatem concipitur, neque rursus ex duabus personis, quemadmodum iste impius *nos* vane calumniando suspicatus est.

Adeo autem mentis stupor te occupat, ut istam vocem [1], quae tam stulta est omnemque blasphemiam simul et malitiam superat, ex nostra opinione corroborare curaveris. Quid enim etiam dicis, tanquam *dictum* validum et mirabile et prorsus sincerum minimeque coactum? Grammaticus: « Quomodo autem Christum etiam « ex duabus naturis » dicemus, si « naturarum »

[1] Id est, formulam duarum naturam seu substantiarum in Christo, vel Christi in duabus naturis seu substantiis, post unionem.

nomen loco « substantiarum » ab illis non intelligatur? Neque enim dicere audebunt *illud nomen* pro hypostasibus charactere insignitis *accipi*. Sin autem, *Christum* etiam « ex duabus personis » dicere cogentur, nam hypostasis charactere insignita personam intelligendam praebet. Dico autem *hypostasim* charactere insignitam ne, iuxta consuetudinem doli haereticorum, hypostasim charactere carentem statuant: tunc enim *hypostasis* significationem substantiae inducit. Quomodo autem Christum et Patri consubstantialem et nobis consubstantialem statuunt, et duos quidem consubstantiales confiteri non cessant, duas autem substantias negant [1]? »

Deinde, dic mihi: si annuerimus tecum sentire praeter id, quod sentiendum est et dixerimus Christum ex duabus substantiis secundum communem significationem, stulteque intellexerimus compositam esse sanctae Trinitatis substantiam cum tota humanitatis substantia, *nonne* persistes in eodem errore putabisque propter infirma nostra validum esse id, quod tuum est? At clare scito, o strenue, nos eandem insaniam non insanire. Etenim ex duabus naturis Christum esse confitentes, ex una Dei * Verbi hypostasi *illum esse* dicimus et ex una carne rationali anima animata, non autem ex duabus substantiis secundum genericam communemque significationem *intellectis*. Istae enim multarum hypostasium comprehensivae sunt et ad ebrietatem tuam perducunt, *scilicet* ad *sententiam*, quae cum blasphemia statuit sanctam Trinitatem toti hominum generi incarnatam esse. Namque hoc est substantia secundum communem significationem, non autem id, quod hypostasis participat substantiam. Etenim, quia Paulus perfecte participat id, quod commune est, substantiae humanitatis, non ideo ipse iure censetur esse tota humanitatis substantia. Sic ipse quoque Deus Verbum, una hypostasis, quia unam carnem rationali anima animatam sibi univit, communemque humanitatis substantiam participat, non ideo censebitur cum toto humanitatis genere compositus.

Quomodo autem ignorare praesumpsisti nos, ubi ex duabus naturis Emmanuelem dicimus, non intelligere naturas *ut* substantias communitatis significativas multarumque hypostasium comprehensivas, sed unam ipsius Verbi hypostasim unamque carnem rationaliter animatam, ex quibus, et quidem immutabiliter, compacta et composita est atque exsistit una natura et hypostasis Verbi incarnata, quin exinde cogamur ut unionem etiam ex duabus personis *factam esse* dicamus [1], cum legisses epistulam ad Maronem a me scriptam? In illa enim *epistula* apponitur propositio quam obiecisti et solutio eius affertur his verbis: utile est enim illa apponere ut ostendamus tum nos nihil novi dicere sed eandem sanam sententiam constanter tenere, tum te frustra velle malefacere et in tenebris impietatis mentis tuae oculum defigere, nolle autem * respicere splendorem veritatis. Sic autem se habent: « At adversarius nobis semper obicit: PROPOSITIO HAERETICORUM: « Quid ergo? Vos, dicendo « ex duabus naturis » et « ex duabus hypostasibus », etiam « ex duabus personis » Emmanuelem *esse* dicitis. » Verum, ad hoc quoque dicimus: Cum hypostases in propria subsistentia [2] et separate reperiuntur, tunc unamquamque *hypostasim* persona ipsius circumcludit [3]; cum autem ex concursu duarum *naturarum et hypostasium* naturalis unio fit, unaque sine confusione natura atque hypostasis absolvitur, — ut hominem nostri similem videre licet, — iam illae *naturae et hypostases*, ex quibus habetur una illa *natura et hypostasis*, non apparent sub propriis characteribus, neque duabus personis, sed etiam una *persona* circumcluduntur. Et id quidem ex supra a nobis consideratis demonstratum est; attamen, ad perfectam institutionem alia etiam sancti Cyrilli verba apponam. Etenim, in secunda ad Nestorium epistula scripsit sic: CYRILLUS: « Igitur non oportet dividere in duos filios unum Dominum nostrum Iesum Christum. Nullo autem modo rectae rationi fidei prodest ita sentire, etsi nonnulli personarum unionem divulgant. Non enim Scriptura dixit Verbum personam hominis sibi uniisse, sed carnem factum esse. Quod autem Verbum caro factum est, id nihil aliud est nisi quod eodem modo ac nos communicavit sanguini et carni. Suum autem effecit nostrum corpus et natum est

[1] Locum non repperi.

1 Haec verba Severi: « nos, ubi... dicamus », graece habentur *P. Gr.*, LXXXVI, 920. — [2] ἰδιοσυστάτως. — [3] περιλαμβάνει.

homo ex muliere, quin dimiserit id, quod Deus est et quod ex Deo Patre natum est, sed etiam in carnis assumptione manendo id quod erat[1]. »

Haec in epistula ad Maronem posuimus, quae manifeste ostendunt eos dicere * duas personas et duos filios et christos et hypostases et naturas, qui opinantur Verbum sibi uniisse personam hominis. Hoc autem dicunt ii, qui prius plasmant infantem in sinu Virginis et concedunt tempus quo in propria subsistentia subsistit, sicque in eo habitare faciunt Deum Verbum affectus adhaesione, et per hoc divulgant unionem secundum personam, immo praecludunt unionem rectae rationi fidei. Et promptum est videre quomodo impium Diodorum quodam loco loquentem ostendat sapiens Cyrillus, in iis, quae adversus illum Dei inspiratione scripsit: Diodorus: « Cum esset caro Mariae, nondum assumpta, e terra erat et nihil differebat a ceteris carnibus. Quemadmadum enim Levi decimatus est cum in lumbis esset[2] atque, postquam natus est, dignitatem accepit: ita ipse quoque Dominus, cum in sinu Virginis et ex substantia, non habebat filiationis dignitatem; cum autem formatus est atque Deo Verbo templum factus est, accipiendo Unigenitum, assumpsit dignitatem nominis et ipsam dignitatem participavit[3]. » Ad quae etiam is qui, iuxta apostolicum testimonium, potens est eos, qui contradicunt praedicationi evangelii arguere[4], dicit: Cyrillus: « O egregie, dicam, qui inerudita valdeque stultitia laborantia verba eructas! Equidem ex Maria factum est istud sanctum corpus, sed in primis coagmentationis seu subsistentiae initiis in utero sanctum erat, tanquam Christi corpus; neque ullum tempus quisquam perspiciet, quo eius quidem non fuerit, sed potius commune *corpus*, ut dixisti, et in aequalitate ceterarum carnium[5]. »

* p. 182.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 48. Locum epistulae ad Maronem non repperi. — [2] Cfr *Hebr.*, VII, 9-10. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 1449 (latine tantum); alteram loci partem habes apud Pusey, t. III, p. 503 (syriace tantum). — [4] Cfr *Tit.*, I, 9. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 1450 (latine tantum); Pusey, t. III, p. 498 (syriace tantum). Utrumque, tum Diodori tum Cyrilli, locum iam allegatum a Severo in opere cui titulus « Philalethes » reperies syriace in edit, Sanda (Beryti Phaeniciorum, 1928), p. 9,

Igitur ad hypostaticam unionem et naturalem coniunctionem id pertinet, quod hanc carnem anima * menteque praeditam, quae in purissimo utero deiparae Virginis concepta est, in ipsa cum Deo Verbo unione substitisse dicimus et coagmentationis initium accepisse, ita ut concurrerit[1] cum unione ad Verbum saeculis antiquius carnis adductio ad exsistentiam.

Sic enim is intelligitur conceptus, qui incarnatus et unitus est carni, quae suapte natura concipi potest, ipseque per tempus perfectum conceptionis conceptus, qui secundum carnem natus est: vox enim « caro factum est » in ipso Verbo, secundum naturam suam carnis experte intelligendum praebet carnem substitisse et paulatim pervenisse ad incrementum et ad humanam formam, minimeque extra unionem ad Ipsum ad subsistentiam venisse. Id enim sanctus quoque martyr et episcopus alexandrinus Petrus, in libro de divinitate, docet sic scribendo: Petrus: « Unde et evangelista asserit veritatem dicens: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », nimirum ex quo angelus Virginem salutavit et dixit: « Ave, gratia plena, Dominus tecum ». Nam hanc *vocem* « Dominus tecum » nunc audire licet a Gabriele *prolatam* instar *vocis* « Deus Verbum tecum »; ipsum enim significat et in utero fieri et carnem fieri, sicut scriptum est: « Spiritus sanctus veniet super te et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo et quod nascetur sanctum vocabitur Filius Dei[2]. » Rursusque, post alia: « Deus Verbum autem, absente viro, per voluntatem Dei, qui omnia facere potest, factus est caro in utero Virginis, cum viri operatione et praesentia non eguisset. Magis enim quam vir operata est virtus Dei, cum obumbravit Virgini cum Spiritu sancto, qui cum ipsa venit[3]. » *

Mysterium ergo per inspiratam Scripturam et per vocem eorum, qui illam explicaverunt, theologorum Doctorum, significat nobis infantem in propria subsistentia[4] et seorsum non substitisse neque conceptum esse, iuxta inanem haereticorum cogitationem, in sinu deiparae Virginis Mariae, sed ipsum Verbum saeculis antiquius, ab initio insecabilique tempore coag-

* p. 183. * p. 184.

[1] Fuerit ἰσόδρομος. — [2] *P. Gr.*, XVIII, 509. — [3] *Ibid.*, 512. — [4] ἰδιοσυστάτως.

mentationis et constitutionis in utero, sibi uniisse carnem anima menteque praeditam, cum ad exsistentiam atque subsistentiam veniret, unumque esse tempus transitus carnis ad exsistentiam et unionis ad Deum Verbum, ita ut is secundum carnem absque mutatione infans factus intelligatur, cuius, utpote Dei, natura perfectissima est. Unamque personam necessario dicimus ipsum Verbum saeculis antiquius, immutabiliter incarnatum et inhumanatum, unamque rursus hypostasim et unam naturam Verbi incarnatam, non autem duas personas, neque duas hypostases, neque duas naturas, quia Verbum non sibi uniit personam hominis prius in sinu deiparae Virginis Mariae plasmati, sed potius Ipsum per dispensationem propter misericordiam homo factum est.

CAPUT VICESIMUM ALTERUM

Quomodo *formula:* « Christus ex duabus naturis seu hypostasibus *esse* concipitur et dicitur », et contemplationem differentiae eorum, quae absque defectu in unum congregata sunt, secundum cogitationem tantum in compositione considerandam praebet, simulque post unionis cogitationem ab omni dualitate, ab impiis inducta, et substantiarum et personarum et naturarum et hypostasium, fugit.

Cumque ipsum *Christum* ex duabus naturis seu hypostasibus *esse* dicimus, quasi sola cogitatione separantes ea, ex quibus est seu naturaliter compingitur id dicimus. * Neque enim *sic loquimur* quasi prius exstitisset dualitas hypostasium, sicque in unam hypostasim compacta fuisset: nam hoc simul inruditum et impossibile est. Ea enim, quae singillatim et separate subsistunt et in dualitate sunt, quomodo in unam hypostasim compingi possunt? Id ergo, quod unum ex compositione absque mutatione subsistit ex rebus inter se specie atque substantia diversis, — qualis est homo nostri similis ex anima et ex corpore compositus, — est quidem in una hypostasi; intellectu autem solo separantibus videndum praebet se ex duabus naturis compactum esse, sed in duabus naturis seu hypostasibus non subsistit. Etenim videri nequit utrumque in propria subsistentia [1] subsistens, sed *apparet tantum* ex compositione *duorum* inter se unam hypostasim absolutam esse,

[1] ἰδιοσυστάτως.

* p. 185.

Illustret autem iterum simulque confirmet sententiam *illam* Spiritu sapiens Cyrillus, qui ostendit nos, ubi subtili contemplatione tantum separamus ea, ex quibus est unus solusque Christus, duarum naturarum seu hypostasium unionem factam esse dicere; ubi autem cum separatione atque divisione velut contemplatione *facta* unionem apprehendimus, *nos* non amplius dicere « duo » post unionis cogitationem, quia separate et in propria subsistentia non subsistunt, sed ex ambobus una est natura atque hypostasis Verbi incarnata. Itaque in prima epistula ad Succensum sic scripsit: Cyrillus: « Cum autem id consideramus, nihil laedimus concursum in unitatem, ex duabus naturis *eum* factum esse dicentes; post unionem vero naturas a se non separamus, neque in duos filios secamus illum unum et indivisum, sed unum Filium dicimus et, ut Patres dixerunt, unam naturam Verbi * incarnatam. Itaque quantum attinet ad cogitationem et ad contemplandum tantummodo oculis animae quomodo inhumanatus sit Unigenitus, duas naturas esse dicimus, quae unitae sunt, unum autem Christum et Dominum et Filium Dei Verbum inhumanatum et incarnatum [1]. » Similiter etiam, in epistula ad Acacium, episcopum melitinensem, haec dicit: Cyrillus: « Ideo ergo ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam iam sublata in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [2]. » Rursusque, post alia: « Una enim certissime est natura Verbi; scimus autem eam incarnatam esse atque inhumanatam. Quo autem modo incarnata sit atque inhumanata si quis curiosius inquirat, videbit Deum Verbum, qui ex Deo est, formam servi assumpsisse et in similitudine hominum factum esse, ut scriptum est [3]. Atque secundum hoc ipsum tantum intelligi poterit naturarum seu hypostasium differentia; non enim idem sunt secundum naturalem qualitatem divinitas et humanitas: sin autem, quomodo Verbum, cum Deus esset, exinanitum est, et seipsum ad inferiora, id est, ad nostra, demisit [4]? » In secunda autem ad

* p. 186.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 232. — [2] *Ibid.*, 192. — [3] *Philipp.*, II, 7. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 193.

Succensum epistula, cum iisdem liberis sententiis atque vocibus procedens, scripsit sic: Cyrillus: « Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, animae unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus quodam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non ponimus seorsum * naturas, neque rursus prorsus virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [1]. »

* p. 187.

Nonne cuilibet haec prudenter audienti evidens est personam quidem unam esse, nempe unum et solum Dominum et Deum Iesum Christum, unamque naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam? Ea autem, ex quibus *Christus* est aut naturaliter componitur si consideret, hac etiam, ut fieri potest, subtili tantummodo contemplatione et, ut videre licet, oculis mentis atque intellectu perspiciat atque colligat differentiam eorum, quae inter se congregata sunt, videbit naturalem duarum naturarum essentiam; simulque virtute unionis illuminatus et inveniens illa in compositione minimeque in propria subsistentia subsistere, sed absolvisse unam hypostasim unamque naturam Verbi incarnatam, ea, quae in contemplatione duo visa sunt, duo secundum hypostasim dicere non poterit. Sectionis enim virtutem unionis cogitatio avertit et cohibet, ita ut duo haec non iam duo sint, sed utroque ineffabiliter illud secundum compositionem unum absolvatur. Et naturae quidem atque hypostases, ex quibus compactus est *Christus,* videntur absque defectu et immutabiliter in unione, unicuique autem ex illis agnosci nequit persona, quia separate et in propria subsistentia et in dualitate non subsistunt, sed una ex utraque est hypostasis et consequenter una persona unaque natura Dei Verbi incarnata.

En manifeste ostendimus quomodo, ex duabus naturis dicentes, non intelligamus ipsas naturas *esse* substantias secundum communem significationem, * quae multarum hypostasium comprehensivae sunt, ut inveniatur, iuxta impietatis tuae

* p. 188.

1 *P. Gr.*, LXXVII, 245.

stoliditatem, toti humanitati totique *hominum* generi incarnatam esse sanctam Trinitatem, sed unam Dei Verbi hypostasim, quae secundum contemplationem tantum separatur, unamque hypostasim carnis rationaliter animatae et ex deipara Virgine assumptae, in compositione absque mutatione intelligi, et id quidem permansisse, quod erant, minime vero in propria subsistentia, ut saepe diximus, et in dualitate naturarum subsistere, sed per concursum in unum, unam naturam et hypostasim Verbi incarnatam, atque unam personam absolvisse.

CAPUT VICESIMUM TERTIUM

Quod hypostasibus, ubi singillatim et separate subsistunt, speciales personae attribuuntur, ubi vero *istae hypostases* concurrunt ad naturalem unionem et unam ex duabus hypostasim absolvunt, unam habent personam.

Hypostasium enim in propria subsistentia et separate subsistentium id proprium esse, quod duae personae illis tribuantur, iterum manifeste ostendet in medium procedens sacra vox Cyrilli, probata libra recte et cum aequilibrio [1] et, ut Scripturae locutione utar, siclo sanctuarii [2], magna ponderans. In epistula ad Valerianum hac ratione scripsit: Cyrillus: « Sed iterum arrectam aurem suam mihi ostendit iste acer ad contemplationes et astutus ad calumnias, dicitque: « Si alius est qui inhabitat, alius autem similiter ille in quo inhabitare dicitur, quomodo non necesse est dividantur hypostases dicamusque unamquamque seorsum subsistere? » Deinde ubi iam, quaeso, una persona est? Unam enim Christi personam se dicere simulant, sed duabus * hypostasibus per se et separate positis, omnino erunt duae quoque personae. Verum ingrediuntur *ut* legislatores id, quod ipsis videtur recte se habere, prorsus et omnino stabilientes. Dicunt enim: « Hypostases separantes, unimus personam ». Et quomodo id non incredibile est et ineruditum et impossibile [3]? »

* p. 189.

Eundem autem Doctorem, qui hic dixit hypostasibus separate et proprie et seiunctim subsistentibus consequenter duas personas

1 ἰσορρόπως. — 2 Cfr, v. gr., *Levit.*, v, 15. — 3 *P. Gr.*, LXXVII, 276.

sonas attribui, non autem unam, ut dicunt ii, qui Nestorii opiniones sectantur, filiationis homonymia et aequalitate dignitatis istas *personas* colligantes, scire in hypostatica naturalique unione hypostases seu naturas, ex quibus *est* unus et solus Christus, inconfusas apparere, idque cum ex duabus una natura et hypostasis Verbi incarnata absolvatur, ex iis, quae apponentur, cognoscemus. Sic enim in Scholiis scripsit: CYRILLUS: « Quod autem inconfusae manserint naturae seu hypostases, hinc sciemus: aurum enim, quod ligno illitum erat, mansit id quod erat, et ditabatur quidem lignum auri decore, quin tamen lignum esse desineret. Arcam autem in typum Christi assumi multis poterit quis verbis stabilire: praeambulabat enim filiis Israel, quaerens ipsis requiem. Ait enim alicubi et Christus: « Ibo et parabo vobis locum [1] ». Et cum titulum scriberet scholio, cui istae sententiae supponuntur, sic inscripsit: CYRILLUS: « Quod, etsi in veram unionem coniunctum est Verbum * humanitati, inconfusae manserunt hypostases [2]. »

* p. 190.

Quomodo igitur ex rebelli adversus tam manifesta ineruditione, iuxta regulam a teipso constitutam, audes dicere et scribere, cum ea, quae te decet, caligine fallacique obscuritate: GRAMMATICUS: « Nam hypostasis charactere insignita personam intelligendam praebet. Dico autem *hypostasim* characteribus insignitam ne, iuxta consuetam fallaciam haereticorum, hypostasim charactere carentem statuant: tunc enim *hypostasis* significationem substantiae inducit [3] »? Itaque per Prudentiam tuam haereticis adscriptus est sapiens Cyrillus, qui dixit inconfusas permansisse hypostases, ex quibus *est* Emmanuel, easque in duas personas charactere insignitas ipse [non] separat, sicut tu fecisti, quia in compositione inter se, non autem in propria subsistentia et separate subsistunt, sed in una ex utroque hypostasi unaque natura ipsius Verbi incarnata! Dicis vero non oportere illas hypostases, quae in compositione apparent, vocemus hypostases, sed substantias. Ergo quoad proprietatem verborum erravit Doctor, tibique cum obligavit diligentia correctionis! Te autem nos quoque sequemur statimque interpretem adhibebimus.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1381; cfr Ioh., xiv, 3. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1380. — [3] Locum non repperi.

Itaque nobis quaerentibus explica quomodo hypostasim Verbi, Filii, Splendoris, Characteris paternae hypostaseos, Imaginis, intelligere debeamus non esse hypostasim, sed substantiam, quia divinitatis substantia secundum communem significationem trium hypostasium comprehensiva est, non autem, quia hypostases immutabiliter participant * substantiam, liceat putare effusam esse in Filio Patris vel Spiritus hypostasim; quomodo autem unam illam carnem rationali anima animatam rursus putare nequeamus esse substantiam secundum communem significationem: neque enim ipsa multarum hypostasium comprehensiva est, neque id, quod eandem substantiam et humanitatem participat et ideo ei consubstantiales sumus, eam expellit ab eo, quod hypostasis sit. Nam substantia quidem generis rationem tenet homogeneas substantias comprehendentis; hypostasis autem *rationem tenet* unius speciei, quae substantiae subiacet et perfecte atque sine defectu id, quod commune est, substantiae participat. Haec autem dicimus tuas sententias secuti. Dixisti enim te asserere unum Christum esse duas naturas hypostatice unitas, id est, substantias secundum communem significationem. Haec autem communis significatio novit illas substantias multarum hypostasium comprehensivas *esse*, quemadmodum oratio *id* scrutata fuse ostendit, minime vero *novit* hypostasim participem esse huius, quod commune est, substantiae. Etenim « unusquisque nostrum per communem substantiae rationem esse participat », ut sapiens in divinis Basilius in epistula ad Terentium scripsit [1]. Proinde unaquaeque ex hypostasibus substantiam participat; ipsa autem substantia participari potest, quae omnes hypostases ipsam in dignitatis aequalitate participantes per communem generis quoque rationem comprehendit. Etenim unusquisque nostrum participat communem humanitatem unamque omnibus superiorem substantiam, et est unus homo unaque hypostasis. Attamen, non ideo quia substantiam participat, non est hypostasis sed substantia vocandus est: ipse enim participat, illa autem * participari potest; et ipse quidem comprehenditur, illa autem in se omnes singulorum hypostases comprehendit.

* p. 191. — * p. 192.

[1] *P. Gr.*, XXXII, 789.

Igitur declara nobis, — rursus enim ad te interrogandum accedimus, — quomodo Dei Verbi hypostasim intelligere debeamus *ut* substantiam secundum communem significationem, quomodo autem illam etiam unam carnem anima menteque praeditam, quam sibi *Verbum* hypostatice uniit, dicere debeamus substantiam, iterum secundum communem significationem. Ecce enim sanctus Cyrillus, sollertem tuam verborum proprietatem[1] fastidiens, ad Nestorium scribendo, in capitulo tertio anathematismorum, ubi potissimum decebat eum proprie loqui, haec scribit: Cyrillus: « Si quis in uno Christo separat hypostases post unionem, eas coniungendo sola coniunctione secundum dignitatem seu auctoritatem, et non potius ea congregatione, quae secundum naturalem unionem *est*, anathema sit[2]. »

Iis ergo qui, ut divina Scriptura dixit, habent aures audiendi[3], et mente constant, nihil istis *verbis* clarius opus est, ad reprehensionem spontaneae tuae loquacitatis et ad demonstrationem veritatis. At, quia prorsus tibi placuit impie agere, idque in mente tua excogitasti, quod *velut* in columna eorum, qui Deum impugnant, inscribitur[4]: « Munda mihi fiant, quia in errratione cordis mei ambulabo[5] », et indurasti faciem tuam super petram atque renuisti accipere disciplinam[6] in medium procedis; et cum [nihil scias] a teipso, etiam ea, quae in sententiis et in verbis tam manifesta sunt, cum audacia explicare contendis, easdem fabulas afferendo. Nobis enim in lamentabili libello haec scripsisti: * * p. 193.

CAPUT VICESIMUM QUARTUM

Quod inerudite et audacter *verba* sancti Cyrilli detorquet[7], dicitque hypostasium coniunctionem secundum naturalem unionem esse unionem substantiarum secundum communem significationem.

[Grammaticus]: « Ceterum neque id eos fallat, quod pro « substantia » *vox* « hypostasis » saepissime a sanctis Patribus

[1] κυριολεξία. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 120. — [3] Cfr, v. gr., Matth., xi, 15. — [4] στηλογραφία τῶν θεομάχων. — [5] *Deuter.*, XXIX, 19. — [6] Ier., v, 3. — [7] παρερμηνεύειν.

intellecta est, sicut et sancto Cyrillo placet. Nam in tertio anathemate dicit: « Si quis in uno Christo hypostases post unionem dividit[1] ». Non enim subsistentem *vox* hypostasis hic significat: nam non nominavisset hypostases in Christo iste *vir* deifer, qui adversus Nestorii blasphemias continuo pugnabat, si illas *hypostases* pro substantiis non accepisset[2]. »

Considerate, qui haec iam audivistis quique audite, quanta sit inopia qualisque sit audacia, et quomodo, deficientibus ipsi istis quoque audacibus verbis, non [........] in pudore suo. Sed nunc etiam mihi tempus est utendi verbis Hieremiae, qui de quibus talia proferret, prout digni erant, sciebat et intelligebat: « Confusi sunt quia defecerunt; sed neque tanquam confusi erubuerunt, neque stultitiam suam agnoverunt; ideo corruent in ruina sua et in tempore visitationis suae peribunt, dicit Dominus[3]. » Ecce igitur, o optime, etiam visitatio turpium et audacissimarum stultitiarum tuarum appropinquavit et surrexit adversus illas perditio. Ubinam enim sapientem Cyrillum dicentem produxisti: « Pro substantiis hypostases intellexi vel dixi »? Idem enim facis ac si, cum aliquis hominem nominavit,* dicas ab eo equum nominatum esse. * p. 194. Ideo non gravabor, ad reprehensionem audacis garrulitatis tuae, iterum integre ipsum anathematismum apponere: Cyrillus: « Si quis in uno Christo hypostases post unionem dividit, eas coniungendo sola coniunctione secundum dignitatem seu auctoritatem, et non ea potius congregatione, quae secundum naturalem unionem *est*, anathema sit[4]. »

Ostende, o bone, ex his verbis Cyrillo placere, ut dixisti, in naturali Emmanuelis unione pro substantiis hypostases intelligere. At illi quidem *id* non placet: si enim placuisset, id etiam dixisset, nam quid erat quod prohibuisset ne diceret? Tibi vero, tibique soli hoc placet, impio coniectatori, qui mendaciter dicis et coniectas de sententia illius, atque vana ista verba eicis: Grammaticus: « Neque enim ille *vir* deifer, qui adversus Nestorii blasphemias semper pugnabat, in uno Christo hypostases nominavisset, si eas pro substantiis non accepis-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 120. — [2] Locum non repperi. — [3] Ierem., vi, 15. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 120.

set [1] ». Quid ergo, o strenue et interpretatione subtilis? Quia Nestorius multis in locis duas naturas nominat, ipsum unum Christum dividendo, numquid inconsiderate [2] dicemus, tuam divinationem, quae divinatio non est [3], sequentes, sanctum Cyrillum non confiteri ex duabus naturis Christum *esse*, aut naturas *tanquam* substantias intelligere? Aut ubinam apparet scripsisse ad eum: « Tu quidem, o Nestori, naturas *tanquam* hypostases intelligis, ego autem *tanquam* substantias »? Ostende eum alicubi in scriptis suis id scripsisse, et sine ulla controversia nos devinces. Sed quemadmodum *Cyrillus* increpabat *Nestorium* errantem atque dicentem duas naturas, eodem modo vituperabat eum * rursus dicentem unum Christum *esse* duas hypostases, quia illas naturas et hypostases secundum duplicitatem divisas deprehendebatur *Nestorius* necessario asserens duas *esse* personas, duosque filios et christos, quos secundum solam dignitatem et filiationis homonymiam et auctoritatem, ut dicebat, itemque secundum virtutem coniungebat. Et quemadmodum postulabat ab eo ut naturalem hypostasium unionem confiteretur, ita etiam naturarum, cum nullam differentiam *inter naturam et hypostasim* agnosceret, quia una hypostasis, — una ex Trinitate, non autem Trinitas, — unam carnem, ex Maria deipara *ortam* et anima menteque praeditam, — non autem totam substantiam *totumque* genus humanitatis, — sibi hypostatice univit, neque ex substantiis secundum communem significationem, ut dicis, facta est naturalis coniunctio. Una enim natura et hypostasis Verbi incarnata est, atque solummodo ad contemplandum animae oculis ea, ex quibus est seu compositus est naturaliter *Christus*, consideramus, ut fieri potest, duas naturas seu hypostases in ineffabili et inconfuso concursu; quia caro rationaliter animata subsistit in ipsa unione ad Verbum, neque *unio* permittit, post cogitationem unionis insecabilis tamque Deo dignae et rationem superantis, sectionem in duo, ita ut quae duo in cogitatione visa sunt, duo iam non sint, unam autem ex utroque absolutam esse naturam ostendatur, *naturam* nempe ipsius Filii inhumanatam et incarnatam.

[1] Locum non repperi. — [2] ἀπερισκέπτως. — [3] ἄμαντις μαντική.

Rursus autem possumus [1] ex ipsis sancti Cyrilli verbis aperte et clarissime ostendere ipsum a Nestorio postulasse ut confiteretur unionem modo quidem naturarum, modo autem hypostasium, quasi facta coniunctione unius * carnis Verbo hypostatice unitae, non vero substantiarum secundum communem significationem. Scripsit enim, in tomo secundo adversus immundi Nestorii blasphemias, sic: CYRILLUS: « At vero inventor novae pietatis, quamvis simulate unum Christum dicat, separat quidem ubique naturas et unamquamque singillatim constituit, eas non vere inter se unitas esse asserens; praetexens autem praetextus in peccatis [2], sicut scriptum est, excogitat modum quemdam adhaesionis, secundum aequalitatem dignitatis tantum, ut dixi, sicut etiam ex verbis eius ostendetur; et inhabitare quidem facit per participationem, ut in puro homine, ipsum ex Deo Verbum, dividit vero evangelicas voces, ita ut modo nonnullas ex illis Verbo soli *et* proprie *considerato* tribuat, modo autem proprie ei, qui *est* ex muliere. Attamen, quomodo omnibus non sit indubium, cum Deus esset [secundum naturam, factum esse [3]] hominem Unigenitum, non adhaesione simpliciter extrinsecus excogitata aut affectiva, ut ille ait, sed vera unione ineffabiliter et supra intellectum? Sicque unus concipitur et solus; omne autem dictum ipsi convenit et velut ex una persona omnia dicentur; una enim iam concipitur natura post unionem, *natura* nempe Verbi incarnata [4]. » Ecce Nestorium vituperat quia naturas, quas dividit, non dicit vera unione congregatas esse. Quid enim etiam dicit? CYRILLUS: « Eas non vere inter se congregatas esse asserens [5] »; statimque ostendit quod *Nestorius* quidem, cum illas naturas dividat et solummodo secundum dignitatem * coniungat, *illas* efficit personas divisione separatas et unamquamque per se subsistentem; ipse autem cum illas ineffabiliter et supra intellectum unitas atque in compositione subsistentes, non autem in dualitate separate, consideret, unam personam novit, unamque naturam Verbi incarnatam, neque dixit: « Ego naturas intelligo *tanquam* substantias secundum communem significationem. »

[1] πάρεστιν ἡμῖν, — [2] *Psalm.* CXL, 4. — [3] Haec addenda sunt iuxta textum graecum. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 60. — [5] *Ibid.*

Considerandum autem quomodo veram quoque unionem postularet ut blasphemator ipse confiteretur. Scripsit enim in eodem tomo, post pauca, etiam haec: CYRILLUS: « Iste autem ex illis *doctrinis* nihil in mente sua habens, immoderata impietate laboravit, dividendo *Christum* in duas personas et in duas hypostases omnino inter se divisas, et unicuique earum sermones ipsi convenientes proprie tribuit; rursusque unum Christum Iesum Dominum dicit, tanquam hominem Deo adhaerentem secundum solam dignitatem, non autem vera unione, id est, *unione* naturali. Quomodo igitur unus est Christus et Filius et Dominus, si ambobus conveniat, ut dixisti, ut sic nominentur et vere sint, cum minime coniunctae sint secundum unionem hypostases, sed unitae sint secundum solam dignitatem vel auctoritatem seu potestatem [1] ? »

Rursusque, in eodem tomo, naturas, ex quibus Emmanuel *est*, non *tanquam* substantias secundum genericam significationem, sed *tanquam* hypostases agnoscens, itemque easdem vocans tum hypostases tum naturas, quae in dualitatem quidem divisae in duabus personis intelliguntur, in naturali autem et vera unione apparentes unam ex duabus absolvunt naturam et hypostasim, Filii nempe *naturam et hypostasim* incarnatam et inhumanatam, ait: CYRILLUS: « Desine naturas post unionem dividere. Etenim aliud * atque aliud esse divinam et humanam naturam scire quidem dico prudentibus viris conveniens et necessarium, — distant enim inter se, et quidem inaestimabilibus differentiis; — at, ubi de Salvatore omnium nostrum Christo veram et hypostaticam unionem induxeris, recusa divisionem: unum enim sic confiteberis Christum et Filium et Dominum [2]. » RURSUSQUE, POST ALIA: « Oportebat ergo, si homo sapiens sagaxque erat, diceret corpus quidem illud ex muliere, rursus vero confiteretur illud *corpus*, hypostatica unione cum Verbo coniunctum, unum Christum et Filium et Dominum absolvisse, eundem Deum et hominem [3].» Rursusque, in tomo tertio, dicit: CYRILLUS: « Igitur hypostasibus, ut tu dicis, in duo divisis, et seorsim ac privatim exsistere intellectis, quomodo congressus in unam personam

* p. 198.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 65. — [2] *Ibid.*, 92. — [3] *Ibid.*, 108.

fiet, nisi unum esse alterius proprium dicatur, ut *nimirum* animae hominis proprium intelligitur corpus *eius*, licet diversae sit ab ea naturae: neque enim idem est anima et corpus [1]. » Illud ergo etiam considerandum est, quomodo *scilicet* quoad ipsas hypostases, quas Nestorius, illas dividendo, efficit duas personas, sanctus Cyrillus dicat quod, si eo modo illas naturaliter inter se unitas intelligamus, quo hominis anima ad proprium corpus suum, etsi diversae ab ea naturae, unitur, tunc fieri potest ut unam ex utraque absolutam personam nominemus, sicut unam hypostasim et naturam ipsius Verbi incarnatam.

Itaque istis omnibus clarissime ostensum est particularium hypostasium, *hypostasis nempe* Dei Verbi et unius illius carnis, ex Virgine deipara ortae, rationali anima * animatae, naturalem unionem factam esse, non autem substantiarum secundum communem significationem, quae multas hypostases comprehendunt. Ubinam igitur, o impudentissime et impietate audax atque inerudite Grammatice, reponemus interpretationem tuam dicentem: GRAMMATICUS: « Non enim iste *vir* deifer, qui adversus Nestorii blasphemias continuo pugnabat, in uno Christo hypostases nominavisset, si illas *hypostases* pro substantiis non accepisset [2] »? Manifeste enim audisti eum, cum adversus Nestorium certaret, dicentem: « Igitur hypostasibus, ut tu dicis [3] », et ipsarum *hypostasium* naturalem unionem ut *Nestorius* confiteretur postulabat; neque dicebat: « Cur, o Nestori, non substantiarum sed hypostasium unionem confitendo, dividis unum Christum? » sicut tu, Grammatice, dicis hypostasium quidem unionem esse mendacem et habitudinalem, substantiarum autem *unionem esse* veram et hypostaticam. Tale quid autem nusquam *Cyrillus* locutus apparet: unde, minime *dixit*. Nam neque substantiarum secundum genericam significationem, sed unius hypostasis Verbi ad unam carnem anima menteque praeditam sciebat naturalem unionem factam esse. Et audi eum rursus in tomo quarto haec scribentem: CYRILLUS: « Et quamvis in omnibus quidem sanctis habitaverit et adhuc inhabitet Verbum, semel autem factum sit in

* p. 199.

[1] *Ibid.*, 160. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 160.

nostris et uni carni secundum hypostasim communicaverit, in qua pro nobis mortuum esse atque resurrexisse creditur [1]. »

Quis ergo tam manifesta et omnibus istis evidentibus rationibus procedentia praetermittet, teque ista impia tanquam iuvenculum effutientem attendet et dicet substantiarum secundum communem significationem unionem factam esse? *

* p. 200.

CAPUT VICESIMUM QUINTUM.

Quod cum iste impius assereret substantiarum secundum communem significationem esse Emmanuelis unionem, ex ignorantia non animadvertit se ad habitudinalem [2] unionem pro naturali *unione* delabi atque aberrare.

Si enim secundum communem significationem divinitatis quidem substantia trium hypostasium Patris et Filii et Spiritus sancti comprehensiva est, humanitatis autem substantia *hypostasium* omnium hominum comprehensiva est, atque dicis substantiarum unionem factam esse: *tunc* inveniris pro hypostatica unione habitudinalem *unionem* eligens, eamque nobis sophismatum ebrietate inducens. Scito enim, scito manifeste, — iamque expergiscere ebrius non a vino, ut dixit propheta [3], — quod iis, quibus unigenitus Dei Filius nobis consubstantialis factus est et uni carni rationaliter animatae hypostatice unitus est, tota humana substantia totumque *humanum* genus secundum habitudinem [4] divinae naturae unitum est, cui prius adversum erat, sicque, ut scriptum est, consortes divinae naturae facti sumus [5], pristina pace dignati et quasi divinorum *bonorum* ipsiusque immortalitatis participatione ditati, a qua Adami transgressione decideramus. Quod rursus egregius Doctor, in tomo tertio adversus Nestorii blasphemias, sic docet: CYRILLUS: « Attamen, quomodo non satius erat dicere, imo etiam malle sentire, eum missum quidem esse et nobis consubstantialem, id est, hominem factum esse, mansisse autem ipsi Deo et Patri consubstantialem qua et concipitur et erat et est Deus? Est namque, est id quod erat, etiam cum humanitatem

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 176. — [2] σχετική. — [3] ISAI., LI, 21. — [4] σχετικῶς. — [5] II PETR., I, 4.

assumpsit; * habens autem identitatem substantiae cum Patre, qui in caelis *est*, et Deo suscepit sapienter nostram quoque similitudinem; positus est autem etiam mediator, per se ad habitudinalem unitatem colligans ea, quae naturae rationibus inter se prorsus separata erant. Cum enim natura Deus esset, secundum veritatem homo factus est, ut nos quoque nominemur genus non iam illius primi, id est, terreni, ad quem a Deo dictum est: « Terra es et in terram reverteris [1] », qui etiam in mortem transmittit, sed illius secundi, qui est desuper et e caelo, Christi, inquam, qui nos ad incommutabilem vitam evehit et incorruptibile ostendit illud, quod morte detinebatur, et a peccatis liberavit id, quod peccati laqueis implicabatur. Sic alicubi ipse Pater ad Filium dixit: « Ecce dedi te in foedus generis, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum, ut educeres e vinculis vinctos et e domo carceris sedentes in tenebris [2] »; et iterum per Isaiae vocem: « Benedicent me bestiae agri, sirenae et filiae struthionum: quia dedi aquam in deserto et fluvios in terra arida, ut potum darem generi meo electo, populo quem acquisivi ad narrandas virtutes meas [3]. » In quinto autem tomo idem eodem modo ostendit: CYRILLUS: « Nos autem per ipsum demonstratos esse divinae naturae consortes, atque qui prius eramus longe factos esse prope, per ipsum cum Patre secundum habitudinem unitos, rursusque inter nos in una fide et animi concordia quia unius Spiritus participes effecti sumus, ipse asseverabit dicens ad Patrem, qui est in caelis, et Deum: « Non pro his tantum rogo, sed etiam pro iis, qui per verbum eorum in me credituri sunt, * ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi unum sint, ut et mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut unum sint, sicut nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum [4]. » Athanasius autem, veritatis stella, in opere contra Arianos, in quarta oratione, cum his concordantia scripsit sic: ATHANASIUS: « Unde, cum nata sit caro ex deipara Maria, ipse natus esse dicitur, qui aliis nativitatem ut

* p. 201.

* p. 202.

[1] *Gen.*, III, 19. — [2] ISAI., XLII, 6-7. — [3] *Ibid.*, XLIII, 20-21; *P. Gr.*, LXXVI, 141. — [4] *Ibid.*, 213; IOH., XVII, 20-23.

sint tribuit, ut ipse nostram nativitatem in se transferat, iamque nos, ut terra sola, in terram non eamus, sed tanquam cum caelesti Verbo coniuncti, ab illo evehamur [1]. »

Igitur, cum haec nos doceant isti sapientes mystagogi, evidens est quod Dei quidem Verbum, una ex tribus hypostasibus, carnem anima menteque praeditam sibi hypostatice seu naturaliter uniit; ipsa autem totius humanitatis substantia secundum communem significationem *intellecta*, id est, totum *hominum* genus, ad divinam substantiam seu naturam habitudinis coniunctionem acquisivit, velut in secundis generis nostri principiis, scilicet in Christo, id lucrata. Quomodo igitur tu, deceptor et sacrarum Scripturarum direptor, quique nulla re praestas istis hominibus taxatis tribus obolis [2], in platea fallacibus tesseris [3] ludentibus et artificiis vel quadam oculorum captione spectatorum oculos fallentibus, omnia confundis, et calicem fallacis commixtionis miscuisti ut potum dares indoctis tui similibus, ignorantibus, ut prophetico sermone dicam, faeculentam eversionem [4]? Singularem Dei Verbi unionem cum una carne anima menteque praedita, quam sibi hypostatice uniit, * eandem profers ac habitudinalem illam et communem *unionem*, qua nos omnes et id, quod commune est, substantiae hominum per Verbi incarnationem cum divina substantia coniuncti sumus sicque, ut scriptum est [5], facti sumus consortes divinae naturae. Etenim scripsisti, utramque commiscens, hoc modo: Grammaticus: « Igitur in una Trinitatis persona, quae est Deus Verbum, salutem omnium hominum per unionem ponit. Proinde in duabus naturis seu substantiis agnoscitur Deus Verbum inhumanatum: est enim in eo divinitatis substantia; est autem in eo humanitatis quoque *substantia* [5]. »

* p. 203.

Verum haec una ex Trinitate persona, Deus Verbum, hypostasis est, non autem, ut dixisti, substantia secundum communem significationem; et ipsa Verbi hypostasis, quae habet divinitatis substantiam, ut dicis, una est ex tribus hypostasibus, quae in divinitatis substantia reperiuntur atque ipsam

[1] *P. Gr.*, XXVI, 393. — [2] τριωβολιαῖος. — [3] κύβος. — [4] Habac., II, 15. — [5] II Petr., I, 4. — [6] Locum non repperi.

substantiam similiter et absque defectu plene participant. Neque hypostasis, quia substantiam participat, *ideo* est ipsa substantia. Consequenter non in duabus substantiis agnoscitur Deus Verbum inhumanatum, ut deliras. Una enim hypostasis cum esset, unam carnem rationali anima animatam coniunctione, quae secundum naturalem unionem *est*, sibi univit, et per hanc naturalem unionem substantia omnium hominum, totumque genus, lucrata est participationem et habitudinalem unionem cum divina substantia atque natura, quam non essemus lucrati si Deus Verbum sibi non uniisset hypostatice humanam naturam, id est, unam carnem habentem intellectualem animam, minime vero totum hominum genus. Ad id etiam respicit ille *locus*, quem indocte * apposuisti, qui in opere ad religiosissimas reginas reperitur, *et* ex quo putas erroneam opinionem tuam confirmatum iri. Sic autem se habet: Cyrillus: « Conresuscitavit enim nos Deus et Pater in Christo, nosque consedere fecit cum illo in caelis, ut scriptum est [1]. Sed nequaquam in his facti essemus, nisi pauperem naturam nostram induisset is, qui *erat* dives ut Deus [2]. » Quid autem sit illud: « induit pauperem naturam nostram », ipse propriis verbis suis enarrabit. Iam enim antea [3] apposuimus eum, in quarto tomo suo adversus Nestorii blasphemias de Deo Verbo haec scribentem: Cyrillus: « Cum autem semel factum sit in nostris et uni carni secundum hypostasim communicaverit, in qua etiam pro nobis mortuum esse atque resurrexisse creditur: sponte enim carne passus est [4]. »

* p. 204.

Noli igitur, inutiliter versutus [5], singularem Dei Verbi cum humano corpore anima menteque praedito unionem in communem nostram unionem mutare, et naturalem in habitudinalem atque hypostasium in substantiarum *unionem*. Ipsa nempe Dei Verbi hypostasis cum una carne rationaliter animata, et quidem naturaliter, unita est; ipsum autem genus totaque hominum substantia cum divina substantia et natura secundum habitudinem et velut per participationem atque gratiam

[1] Cfr *Ephes.*, II, 6. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 1344. — [3] Cfr supra, p. 155. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 176. — [5] Sensus mihi haud certus; forsitan ἀκερδῶς ποικίλος.

unita est, propter cognationem[1] cum Verbo, quod immutabiliter incarnatum est carni nobis consubstantiali.

Ecce enim, sicut scriptum est in *libro* Hieremiae, « propter multitudinem iniquitatis tuae retecta sunt posteriora tua[2], ut opprobriis afficiantur calces tuae[3] ». Sequentes enim semitas erroneorum verborum tuorum, vestigia quoque malitiae calcium tuarum scrutati sumus. Invenimus te in diversis unionibus dolose latentem, et unionem quidem secundum hypostasim velut sub ementita pietatis persona * et specie tenus iactantem, sed ad habitudinis *unionem* discedentem, et dividentem quidem duplicitate naturarum post [unionem] unum Dominum nostrum et Deum Iesum Christum, substantiarum autem nomine tanquam pelle illas *naturas* abscondentem: idque, non ut homines decipias sed, ut verius dicamus, ut dolo utaris adversus Deum, qui per Malachiam prophetam eos, qui tuis similia machinabantur, interrogando redarguebat, dicens: « Si decipiat homo Deum sicut vos me decipitis[4]? »; iuxta quam sententiam et sapientissimus Paulus dicebat: « Nolite errare; non irridetur Deus[5] », qui etiam calces tuas opprobriis affecit, id est, patefecit et illusit.

* p. 205.

CAPUT VICESIMUM SEXTUM

Evertitur multis *argumentis* diversa impudentiae interpretatio, quae vult naturalem hypostasium unionem esse *unionem* substantiarum secundum communem significationem.

Rursus autem intuere, — iterum enim investigabimus et dilatabimus considerationem eorum, quae a te effutita sunt, — quomodo, dicente impio Theodoreto, in confutatione tertii anathematismi: THEODORETUS: « Quomodo igitur dicit non oportere dividere hypostases seu naturas? idque sciens, quod perfecta quidem erat ante saecula Dei Verbi hypostasis, perfecta autem etiam servi forma, quae ab ipsa assumpta est. Ideo et hypostases dixit, sed non hypostasim[6] », sanctus Cyrillus dicat hypostasium, quae ab illo audacter dividebantur,

[1] συγγένεια. — [2] τὰ ὀπίσθιά σου. — [3] IER., XIII, 22. — [4] MALACH., III, 8. — [5] *Galat.*, VI, 7. — [6] *P. Gr.*, LXXVI, 404.

naturalem unionem factam esse, ut unus ex utraque Christus agnoscatur, minime vero *dicat Cyrillus* duas hypostases separatas et in propria subsistentia[1] subsistentes et quarum unicuique * singulariter persona adscribatur. In illa autem tertii sui anathematismi defensione sic dicit: CYRILLUS: « Quid igitur tanquam invictum et inexpugnabilem murum nobis obicit mendacium, atque tam infirma problemata tractat, et audiens naturalem factam esse unionem, id est, hypostasium verum et prorsus inconfusum atque conversionis expertem concursum, conatur evertere vim dictorum, ut censeatur non recte factum esse[2]. » RURSUSQUE, POST PAUCA: « Itaque, licet intelligamus hypostases unitas esse et inhumanatum atque incarnatum esse Verbum, sicque videatur naturalem a nobis dici unionem, quae expellat non veram et habitudinalem illam *unionem*, quam nos per fidem et sanctificationem habuimus, quia etiam divinae naturae consortes facti sumus et, uti dixit Paulus « qui adhaeret Domino unus spiritus est[3] », non tamen subicit necessitatibus et imperiis naturalibus illud impatibile et liberum Dei Verbum[4]. » Scribens autem, contra abominandi Andreae reprehensionem, defensionem tertii anathematismi, haec dicit: CYRILLUS: « Quamvis autem diversum secundum naturam[5] suam corpus a Verbo, quod ex Deo Patre *est*, unus tamen est Christus et Filius et Deus et Dominus, tametsi caro sit factus. Et damno non caret modum verae inhumanationis dissolvere separando duas hypostases a se mutuo quidem recedentes ad hoc ut proprie et seorsum sint, habentes autem solummodo adhaesionem externam et ut in ordine dignitatis. Si vero dixerimus naturalem unionem, veram *unionem* dicimus, cum hunc morem habeat Scriptura inspirata, ut hac voce sic utatur. Scribit enim alicubi quibusdam divus Paulus: « Et eramus natura filii irae, sicut et ceteri[6] ». Rursusque, in defensione * sexti anathematismi: CYRILLUS: « Igitur, quantum ex iam scriptis, non apparebimus ignorantes dispensationem unicuique voci convenientem, sed potius non permittentes animalibus et spiritum non habenti-

* p. 206.
* p. 207.

[1] ἰδιοσυστάτως. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 408. — [3] I *Cor.*, VI, 17. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 408. — [5] ἑτεροφυές. — [6] *P. Gr.*, LXXVI, 332; *Ephes.*, II, 3.

bus duos intelligere vel dicere Filios, dum dividunt inter se hypostases post insecabilem unionem [1]. » ET POST PAUCA : « Neque enim hypostasium divisionem [2] post unionem dogmatizamus [3]. »

Neque vero tantum in anathematismorum defensionibus, quas adversus impios vituperatores Andream et Theodoretum struxit, sed etiam in explicationibus illorum *anathematismorum* iisdem cum verbis procedit. Scripsit ergo in explicatione tertii anathematismi hoc modo: CYRILLUS : « Mysterium Unigeniti dispensationis cum carne perscrutantes, dicimus mirabiliter et ineffabiliter unitum esse sancto corpori rationalem animam habenti illud ex Deo Patre Verbum; unum autem ita esse intelligimus Filium, quemadmodum circa nos quoque videre licet diversae naturae ac corpus animam esse, sed tamen in unum animal ambo composita. Verum non ita censent nonnulli res se habere. Hominem enim singulariter et proprie dividentes, dicunt eum Verbo ex Deo Patre genito adhaesisse secundum dignitatem tantum seu auctoritatem, non autem naturali, id est, vera unione, sicut nos credimus. Sic enim divina quoque Scriptura alicubi dicit: « Et eramus natura filii irae, sicut et ceteri [4] », illud « natura » pro « vere » sumens. Qui ergo hypostases post unionem dividunt, et unamquamque earum, id est, hominem et Deum separatim ponunt, illarumque secundum solam * dignitatem confingunt adhaesionem, duos omnino filios constituunt, etsi inspirata Scriptura unum Filium et Dominum dicit. Igitur, post ineffabilem unionem, sive Deum nomines Emmanuelem, Verbum ex Deo Patre intelligimus incarnatum et inhumanatum; sive hominem dicas, nihilo minus Illud ipsum per dispensationem in humanas mensuras demissum agnoscimus. Dicimus autem palpabilem factum esse eum, qui impalpabilis est, visibilem eum, qui invisibilis est. Non enim alienum ab eo erat corpus, quod ipsi unitum est, quod palpabile et visibile fuisse dicimus. Eos autem, qui ita non credunt, sed dividunt, ut dixi, hypostases post unionem atque inter illas meram secundum solam digni-

* p. 208.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 340. — [2] In margine : « de divisione hypostasium ». — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 341. — [4] *Ephes.*, II, 3.

tatem confingunt adhaesionem, honoris nempe seu auctoritatis, alienos ab iis, qui recta sentire consueverunt, supra positus anathematismus reddit [1]. »

Nonne prorsus oculis nostris videmus, quasi ante oculos nostros stantem clarissimum bellatorem, dico sancti Spiritus verbis armatum sanctum Cyrillum, modo quidem condemnantem et eicientem blasphemam Nestorii linguam; modo autem infirma tela eorum, qui anathematismos reprehenderunt, et excipientem et valida defensione obtundentem sicque eos gravi ictu iterum percutientem; modo autem illos ipsos *anathematismos* sanctae Ecclesiae filiis explicantem et enarrantem; modo autem Scripturarum theorias in Scholiis illustrantem, et ubique hypostases illas, quas impii, dum illas dividunt, *tanquam* duas personas et duos filios atque duos christos exhibent, postulantem ab eis ut confiteantur ea, quae secundum naturalem unionem est, coniunctione * concurrisse ut ex utraque unum Christum et Filium unamque hypostasim et naturam Verbi incarnatam absolverent, quemadmodum videre licet ex duobus, ex anima et corpore, hominem nostri similem compositum?

* p. 209.

Cur ergo, o optime Grammatice, hanc perfectam fusamque institutionem neglexisti, et in ipsis verbis atque sententiis ea, quae e corde tuo *procedunt*, nobis periculose plasmas, et tam clara Doctoris verba per divinationes aliter interpretari conaris, cum ne illud quidem, per prophetam Ezechielem scriptum, tremueris maledictum, quod sic effertur: « Haec dicit Dominus: Vae iis, qui de corde suo prophetant, prorsusque non vident [2] »? Dicis enim hanc assertionem: « Christus *est* ex duabus naturis » seu hypostasibus, nempe *ex hypostasi* Dei Verbi et *ex hypostasi* unius carnis rationali anima animatae, non ita intelligendam esse, sed potius confitendum esse eum in duabus substantiis *esse*, dum substantiarum hypostaticam unionem factam esse affirmas, propterea quod sanctus Cyrillus vocem « hypostases » adhibuerit pro substantiis, et quidem *pro* substantiis secundum communem significationem : quae communis significatio novit substantiam multarum hypostasium comprehensivam, quemadmodum divinitatis quidem substantia [3] tres

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 390. — [2] EZECH., XIII, 3. — [3] In margine notatur; « Quod substantia divinitatis tres hypostases significat ».

hypostases Patris et Filii et Spiritus sancti simul significat, rursusque humanitatis substantia unumquemque ex hominibus comprehendit. Ex quibus colliges cum blasphemia id censendum esse, quod saepe diximus, *scilicet* sanctam Trinitatem toti humanitati incarnatam et cum toto genere nostro compositam esse: compositio enim est incarnatio, et hypostatica unio et naturalis unio, secundum quam etiam anima hominis nostri similis cum proprio corpore componitur atque unitur. * Aut rursus reliquum est ut ex eadem dementia deducaris ad habitudinalem unionem secundum quam nos omnes, homines, divinae naturae consortes per incomprehensibilem et inexplicabilem Dei Verbi incarnationem facti sumus. Hypostasim autem, propterea quod substantiam participat, verbi gratia, quia Petrus humanitatis substantiam participat, vocare « substantiam secundum communem significationem », extremae impietatis et ineruditionis est. Neque enim Petrus, una illa hypostasis, propterea quod humanitatem participat, totius humanitatis substantia, quae omnes omnium hominum hypostases comprehendit, esse censetur. Neque rursus Dei Verbum, propterea quod eandem cum Patre et Spiritu substantiam participat, ipsum esse divinitatis substantiam, trium hypostasium comprehensivam, putabimus.

* p. 210.

Hac autem, quae ipsa oratio fusa consideratione demonstravit, multoties iteramus, quo evidentiora ea, quae a nobis scripta sunt, fiant iis, qui occurent illis, itemque per reprehensiones manifestentur tenebrae impietatis tuae, docentis nos duarum substantiarum secundum communem significationem esse hypostaticam unionem, secundum quam similiter oporteat in duabus naturis, id est, substantiis unus Christus definiatur. Igitur, sanctum quidem Athanasium iam supra allegavi, ubi velut in praevia quadam contemplatione dixi, antequam impia tua *asserta* confutationibus dissolverem [1], significantem quid sit substantia et hypostasis et natura et persona, scribendo ad episcopos in Africa *constitutos* [2], substantia etiam atque hypostasi significari id, quod est atque subsistit, et id, quod exsistit, atque exinde tum substantiam tum hypostasim « exsis-

1 Cfr supra, p. 56. — 2 *P. Gr.*, XXVI, 1036.

tentiae » nomine vocantem, dum ex divinis Scripturis * pudorem incuteret iniquis Arianis, qui ista nomina tanquam nullo testimonio tradita minimeque in Scripturis adhibita spernebant. Placet autem ipsius Doctoris demonstrationem hac de re fusius apponere; sic se habet: ATHANASIUS: « Ex quibus animadvertere licet, fratres, eos, qui Nicaeae adfuerunt, Scripturarum *verba* spirare. Dicit enim Deus, in Exodo quidem: « Ego sum is, qui est [1] »; per Hieremiam autem: « Quis stetit in subsistentia eius et vidit verbum eius? [2] », et paulo post: « Si stetissent in hypostasi mea, et audissent verba mea [3] ». Hypostasis autem substantia est, neque aliam habet significationem, nisi hoc ipsum, quod est: quod Hieremias vocat exsistentiam, dicendo: « Neque audierunt vocem exsistentiae eius [4] ». Hypostasis enim et substantia, exsistentia [5] est: est enim et exsistit. Hoc cum Paulus quoque intelligeret, ad Hebraeos scripsit: « Qui est splendor gloriae et figura hypostaseos eius [6] ». Hi vero, qui putant se cognoscere Scripturas et semetipsos sapientes appellant, quia nolunt hypostasim de Deo dicere, — hoc enim Arimini et in aliis suis synodis scripserunt, — qui non iure depositi sunt, dicentes et ipsi in corde suo, sicut insipiens [7]: Non est Deus? [8] »

* p. 211.

Ex his evidenter apparet huius sapientis mystagogi mens. Docet enim substantiam et hypostasim etiam esse exsistentiam. Nam id, quod est, et id, quod subsistit, nemo aliud esse putat praeter id, quod exsistit, et quoad hoc, nulla differentia habetur inter ista nomina. Igitur, cum substantia hanc, *si conferatur* cum hypostasi, differentiam habeat, ut docuit deifer Basilius, quam habet id, quod commune est *si conferatur* cum individuo, illaque generis locum * teneat et multarum hypostasium comprehensiva sit, haec autem unius tantum in tali specie [9] *exsistentis* demonstrationem et significationem [statim] delineet, ut sapiens in divinis Cyrillus, in opere per interrogationem et responsionem composito de sancta Trinitate [10] docet; et cum a

* p. 212.

1 *Exod.*, III, 14. — 2 IEREM., XXIII, 18. — 3 *Ibid.*, XXIII, 22. — 4 *Ibid.*, IX, 10. — 5 ὕπαρξις. — 6 *Hebr.*, I, 3. — 7 Cfr *Psalm.* XIII, 1. — 8 *P. Gr.*, XXVI, 1036. — 9 ἐν εἴδει τῷ τοιῷδε. — 10 Cfr *P. Gr.*, LXXV, 700.

sanctis Patribus nulla nobis tradita sit alia substantiae atque hypostaseos differentia praeter illam tantum: quomodo dicis, o Grammatice, — nam te nunc quoque interrogabo, — sanctum Cyrillum pro substantiarum naturali coniunctione hypostasium *unionem* censuisse atque dixisse? Quin etiam, supervacaneum est me a te quarere: dixisti enim per totum codicem huius lamentabilis libelli, te confiteri Christum *esse* « duas naturas unitas » et « in duabus naturis unitis », teque intelligere « naturas » *tanquam* substantias secundum communem significationem! Cum ergo haec communis significatio exhibeat nobis substantiam multarum atque homogenearum hypostasium comprehensivam, impia tua loquacitate insanum istud, a quo te effugere ostendis, nobis inducis, scilicet id, quod substantia divinitatis, ut dicis, id est sancta Trinitas, toti humanitatis substantiae atque generi incarnata est; vel pro naturali et hypostatica Emmanuelis unione, habitudinalem illam adhaesionem statuis, secundum quam nos omnes homines divinae naturae consortes facti sumus, et divinae gratiae participationem et inhabitationem lucrati sumus, ita ut per hanc tuam confusam garrulitatem dilectionis inhabitatio ipsa quoque incarnatio esse censeatur, iuxta id, quod in Evangelio a Domino dictum est: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus[1] ». Dicens enim substantiarum factam esse unionem, scripsisti * totam divinitatis substantiam in Christo esse, totamque humanitatis substantiam esse in illo, quemadmodum supra, cum tomos tuos ipsis verbis apposuimus, examinavimus[2]; ubi etiam diximus Dei Verbum substantiae humanae perfecte et sine defectu particeps fuisse atque humanitatis substantiae et generi subiacuisse: neque enim ideo censetur totam humanitatis substantiam sibi hypostatice uniisse; et similiter, cum secundum divinitatem perfectum sit, sicut et Pater et Spiritus sanctus, non propterea quod cum illis perfecte et plene et sine defectu substantiam participat, ipsum censebitur esse, ut putasti et etiam scripsisti, tota divinitatis substantia trium hypostasium comprehensiva: haec enim *sen-*

* p. 213.

1 Ioh., xiv, 23. — 2 Cfr supra, p. 111.

tentia est eorum, qui hypostases confundunt et, sicut tu, nesciunt quid dicant, rursusque inhumanationis rationem corrumpunt.

Quod enim illud absque determinatione dictum: « tota vel integra[1] substantia vel natura divinitatis », tres hypostases comprehendat, id significavit sapiens Cyrillus qui, in octogesima octava homilia de evangelio Lucae, sic scripsit: CYRILLUS: « Spiritum vero in his dicit, non solum illum sanctum, sed totam divinitatis naturam, sicut in Patre et in Filio et in Spiritu sancto percipitur. Dixit autem quodam loco etiam Salvator Spiritum esse Deum. Ergo blasphemia in Spiritum, in totam supremam substantiam fit: una enim est, ut dixi, divinitatis natura, quae in sancta et adoranda Trinitate intelligitur[2]. Igitur, ut Paroimiastes dicit, * portam ponamus linguae nostrae et vectem[3], postulantes a supremo Deo atque dicentes: « Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis; ne declines cor meum in verba malitiae[4] ». Verba enim malitiae ea sunt, quae *proferuntur* adversus Deum[5]. »

* p. 214.

Ergo deprehenderis corrumpens inexplicabilem Verbi incarnationem atque inhumanationem etiam in iis, quae dixisti: GRAMMATICUS: « Igitur in una sanctae Trinitatis persona, quae est *persona* Dei Verbi, salutem omnium hominum per unionem ponit. Proinde in duabus naturis, seu in *duabus* substantiis, agnoscetur Dei Verbum incarnatum: habet enim divinitatis substantiam, habet autem rursus et *substantiam* humanitatis[6]. » Neque enim propterea quod carnem anima menteque praeditam naturali unione sibi Verbum univit, sicque secundae generis nostri primitiae factum est, et *illud* vocavit ad novitatem vitae, ut solveret mortem, quae per peccatum ingressa erat a primis primitiis, id est, ab Adamo, et *quia* omnes homines, qui crediderunt in ipsum, ex illa redemptione, quae Deo digna dispensatione *effecta est*, utilitatem perceperunt, ideo intelligetur totam humanitatem, ut dicis, et *totam* sub-

1 In margine: « integra vel tota, quod dicitur in graeco πᾶσα vel ὅλη, idem significat ». — 2 Hucusque locus graece habetur *P. Gr.*, LXXII, 732. — 3 μοχλός. Cfr *Eccli.*, xxviii, 25. — 4 *Psalm.* cxl, 3-4. — 5 Ultimam loci partem non repperi. — 6 Locum non repperi.

stantiam totumque genus ipsi *Verbo* hypostatice unitam esse eoque modo in ipso esse, sicut dicere ausus es. Neque rursus propterea quod Verbum Patri et Spiritui sancto consubstantiale est, ipsum censebitur esse tota divinitatis substantia, sicut delirasti. Sicque iam quiete et sine strepitu, ut aliquis diceret, atque surripiendo simplicem auditum, colligis absurdum, dicens: « Habetur enim in ipso divinitatis substantia; habetur autem in ipso et humanitatis substantia », ita ut exinde censeatur sancta Trinitas et divinitatis substantia toti humanitatis substantiae et generi hypostatice unita. * Si enim una persona est Deus Verbum, quomodo ipsum est tota divinitas, trium personarum Patris et ipsius Verbi et Filii atque Spiritus sancti comprehensiva? Et si una caro rationaliter animata Verbo unita est naturalis unionis coniunctione, quomodo rursus tota humanitatis substantia *ipsa esse* stulte censebitur? At videor cum testicula, quam de arena nexuisti, ut dicitur [1], ipse circumduci, et dum texturam eius solvo, in eodem circulo versor et invitus eadem loquor.

* p. 215.

CAPUT VICESIMUM SEPTIMUM

Quod etiam Nestorius, eadem impietate inebriatus, in eum sermonem veniebat ut diceret ipsam Trinitatem incarnatam esse, et divisionis divinae substantiae orthodoxos insimulabat.

Eorum autem, qui unum Christum naturarum dualitate dissecant, et habitudinalem fucatamque unionem prae vera et naturali *unione* eligunt, id proprium esse, quod diversi facti sunt et per multiramem errorem divinam Dei Verbi incarnationem in id converterunt, ut censeretur ipsa Trinitas incarnata et inhumanata, testatur in medium procedens Nestorius, qui in isto errore furtivarum quoque et periculosarum viarum dux, ut putavit, factus est. Etenim in hypomnematis Ephesi actorum circa illum, venerabilis Acacius, episcopus Melitenensis, post alia, haec scripsit: Acacius Melitenensis: « Et prius quidem necessitatem absurda sua interrogatione imponebat

1 Proverbium erat: ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν. Vide, verbi gratia, apud Irenaeum, *P. Gr.*, VII, 520.

respondentibus aut prorsus negandi * Unigeniti divinitatem inhumanatam esse, aut confitendi, — quod impium fuisset, — Patris quoque et Spiritus sancti divinitatem cum Verbo incarnatam esse: quod omnino pollutae sententiae est et orthodoxam fidem expellit. Postea vero, cum quaestio iterum agitata est, episcopo quodam, qui cum illo erat, dictum tuente atque asserente alium esse Filium, qui passionem suscepit, alium autem Deum Verbum, blasphemiam istam ferre non valens, egressus sum [1]. »

* p. 216.

Quam Dei amantissimi Acacii vocem expandentem istam insaniam, quae impie per implicationem erroris [2] inducit sanctam Trinitatem incarnatam esse, cum Nestorius evertere vellet, in istis hypomnematis a se confictis, enarrando quasi in theatro et singulariter atque in angulo [3] ea falsis litteris [4] quasi Ephesi scripta componendo, iterum Acacium, quia stultam ipsius quaestionem non accipiebat, divisionis unius in sancta Trinitate divinitatis insimulabat, haec scribens: Nestorius: « Cum hac inexpedibili confutatione urgeretur, definiebat Filium esse *quandam* unius divinitatis partem, illamque cum templo esse solutam. Cum autem omnes istam blasphemiam tremerent, statim in medium descendit et aufugit. Hanc nostram interrogationem Acacius nunc insaniam vocat [5]. »

Cum ergo Nestorius haec dixerit, consideremus utrum Grammaticus per verba istis cognata non procedat, cum istius instar adversarii spiritus furore agatur et divisionis unius in Trinitate divinitatis *nos* insimulet. At non annuimus, ut dicit, confiteri hypostaticam unionem totius substantiae divinitatis et totius substantiae humanitatis. Haec enim scripsit et ipse * in lamentabili libello, — quem si quis libellum remotionis [6], iuxta divinam Scripturam, vocaverit, ab eo quod decet minime recedet: separat enim et removet a Deo eos, qui in laqueis eius capiuntur: Grammaticus: « Istae sunt obiectiones adversariorum. Putant enim divinitatis substantiam divisioni subiacere eiusque

* p. 217.

1 Mansi, t. IV, col. 1181. — 2 Cfr forsan *Ephes.*, IV, 14: μεθοδία τῆς πλάνης. — 3 ἐν γωνίᾳ. Cfr *Act.*, XXVI, 26. — 4 διὰ πλαστογραφίαν. — 5 Locum non repperi. — 6 In margine: « Libellum remotionis vocat libellum repudii ».

partem quidem in Patre, partem autem in Filio, partem autem in Spiritu sancto apparere, ita ut unaquaeque ex hypostasibus in parte, non autem in omnibus iis, quae divinitatis propria sunt, concipiatur. Nos vero non ad tantam impietatem cucurrimus, ut divisionem aut sectionem in divina substantia esse censeamus [1]. »

Igitur concordantia quidem haereticarum criminationum, quae prolatae sunt, et sententiarum atque vocum omnibus apparet; illas autem iam consideratas confutavimus, ubi etiam manifeste ostendimus id esse « non dividere neque secare unitatem et identitatem [2] divinae substantiae », *scilicet*, sentire atque dicere tres hypostases solis proprietatibus distinctas, in omnibus minime diversas, in divinitate, in bonitate, in aeternitate, in regia dignitate, in gloria, in virtute, et in ceteris in quibus Deum esse decere etiam intelligitur, non autem hypostases inter se effundere atque confundere.

Haec igitur nunc indagata et addita sunt, allatis in medium dolosis et immundis Nestorii verbis, nulla alia de causa nisi ut scias, o Grammatice, ex quibus seminibus ipsae quoque sapientiae tuae propagines enatae sint. Ideo ista quidem, quam tibi stravisti, diversa via curre, dicens quidem te hypostaticam unionem confiteri, * post unionem autem duplicitatem naturarum confitens, eamque substantiarum vocans, et clam habitudinalem coniunctionem immiscens, quam omnes homines acquisierunt, per Verbi inhumanationem divinae naturae consortes effecti.

* p. 218.

CAPUT VICESIMUM OCTAVUM

Quod cum Doctores hypostasim Dei Verbi et carnem ex Maria *ortam*, quam sibi naturaliter univit, « substantias » et « naturas » et « hypostases » vocant, non genericas substantias secundum communem significationem *esse* censent ea, ex quibus unus Christus *esse* intelligitur.

Nos autem Filium et Verbum saeculis anteriorem, incorporaliter et impassibiliter et aeterno, qua Verbum, ex Patre genitum, unam hypostasim *esse* novimus; et si inveniamus illum

[1] Locum non repperi. — [2] τό ἓν καὶ τὸ αὐτό.

a deiferis Patribus, sanctae Ecclesiae mystagogis, vocatum « substantiam », agnoscimus eos pro « hypostasi » substantiae nomine usos esse. Neque quia substantiae nomen proprie [1] genericae significationis est significativum multarumque hypostasium comprehensivum, ideo Unigeniti hypostasim ad genericam significationem adducimus censemusque eam non unam hypostasim esse, sed substantiam trium hypostasium comprehensivam, quia tandem aliquando « substantia » vocata est: etenim iuxta subiectum et nominum usurpationem atque compositionem intelligere aequum est.

Sic supra [2] allegavi sanctum Basilium, in prima oratione eorum, quae contra impium Eunomium scripsit, unam « substantiam » vocantem Filii hypostasim, his verbis: Basilius: « Sed cum unus secundum subiectum sit, et una et simplex minimeque composita substantia,* alias aliter seipsum nominat, accommodando cogitationibus appellationes inter se diversas [3]. » In secunda vero oratione ille Doctor item scripsit: Basilius: « Sed substantia viva et operans, et splendor est gloriae Dei: quapropter et totum in seipso Patrem ostendit, ex tota eius gloria resplendens [4]. » Sapiens autem Iohannes, qui in sede pontificatus orthodoxiae Constantinopoleos floruit, explicando Iohannis evangelium, in oratione quarta, haec dixit: Iohannes: « Hoc autem Verbum est substantia quaedam hypostatica, quae ab ipso Patre sine passione processit. Illud enim, ut antea dixi, per Verbi appellationem significavit [5]. »

* p. 219.

Similiter autem, etiamsi unam illam carnem rationali anima animatam, quae Deo Verbo naturalis unionis coniunctione unita est, a doctoribus substantiae nomine appellatam audiamus, non ideo nomen substantiae, quae proprie multarum hypostasium comprehensiva est, ad genericam significationem *indicandam* inducemus, et unam esse secundum hypostasim non existimabimus illam *carnem* compositam cum Verbo, quod ipsi inconfuse et inseparabiliter unitum est, sed multarum carnium rationalibus animabus animatarum comprehensivam. Una enim caro anima menteque praedita, licet pro « hypostasi »

[1] κυρίως. — [2] Supra, p. 64. — [3] *P. Gr.*, XXIX, 525. — [4] *Ibid.*, 605. — [5] *P. Gr.*, LIX, 47.

dicatur « substantia », non desinit esse hypostasis, neque ideo secundum communem significationem totius generis locum tenet multarumque hypostasium comprehensiva censetur. Sicque invenimus ipsum Cyrillum, egregium divinorum mystagogum, qui dicit unionem factam esse ex hypostasibus, Dei Verbi *nempe* et unius carnis rationali anima animatae, appellantem « substantiam » Christi humanitatem. * Etenim, in secunda epistula ad Succensum, haec, quae etiam in antea consideratis a nobis apposita sunt [1], scripsit: CYRILLUS: « Nam si, postquam « unam naturam Verbi » dixeramus, tacuissemus, quin adiunxissemus « incarnatam », quasi excludentes dispensationem, esset fortasse ipsis sermo, et quidem non ineptus, ad simulate interrogandum: Ubinam perfectio humanitatis, aut quomodo subsistit substantia nostri similis? Sed quia et perfectio in humanitate et nostrae substantiae designatio illata est per hoc, quod dictum est « incarnatam », desinant baculo arundineo inniti [2]. » Sanctus vero Iohannes, episcopus constantinopolitanus, in oratione undecima commentarii evangelii Iohannis, hypostases illas, ex quibus unus Christus *est*, *vocat* « substantias », sic scribendo: IOHANNES: « Itaque cum audieris: « Verbum caro factum est », ne turberis neque concidas. Neque enim substantia decidit in carnem, — hoc enim perfectae impietatis esset, — sed manens quod erat, sic formam servi accepit [3]. » Ecce statim hypostasim Verbi vocavit « substantiam »; illa enim est, quae etiam incarnata est, id est, non quidem in carnem decidit, sed manens quod erat, formam servi accepit, — nam illud sentire aut dicere ad eos pertinet, qui impietate desipiunt vel inebriantur. Et post alia rursus in eadem oratione dixit: IOHANNES: « Quid enim etiam addit: « Et habitavit in nobis »? *Sic* fere dicebat: Nihil absurdum suspiceris ex hoc *dicto:* « Factum est ». Non enim mutationem dixi illius immutabilis naturae, sed commorationem in tentorio [4] et inhabitationem. Qui autem in tentorio commoratur non idem est ac istud *tentorium* in quo commoratur: * alterum enim in altero *quasi* in tentorio commoratur; sin autem, non habetur

[1] Supra, p. 66. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [3] *P. Gr.*, LIX, 79. — [4] σκήνωσις.

commoratio in tentorio, nam nihil in seipso velut in tentorio commoratur. Alterum autem dixi secundum substantiam; unione enim et adhaesione unum sunt Deus Verbum et caro, nulla facta confusione aut ablatione substantiarum, sed inexplicabili veraque unione, quam ipse solus novit [1]. » Iterum igitur videas, quaeso, quomodo Dei Verbi et carnis, quae unum in unione sunt, nulla facta « substantiarum » confusione ineffabilem unionem proclamaverit: proinde ipsa Verbi hypostasis, — haec enim incarnata est, — manifeste et sine ulla controversia vocata est « substantia », et illa una caro, ex deipara Maria *orta*, anima menteque praedita, — ipsi enim, ipsique soli Verbum incarnatum est, ipsamque ineffabiliter sibi univit, — absque ulla controversia « substantia » perspicue [2] nominata est.

Cum ergo una Dei Verbi hypostasis et una caro, evidenter rationali anima animata, quae cum ipso naturalis unionis coniunctione unita est, ab istis eximiis et egregiis doctoribus naturae et hypostases atque substantiae sine ulla controversia et perspicue vocatae sint, nos omnesque orthodoxiae filii tum ex duabus naturis, tum ex duabus hypostasibus, tum ex duabus substantiis [3] ipsum Christum *esse* dicimus, nullam prorsus differentiam inter ista nomina agnoscentes. Ex quibus enim naturalis et vera et ineffabilis unio *habetur*, ex illis etiam Emmanuel, qui ex unione compingitur, est unus ex duobus Dominus, unus Filius, unus Christus, una persona, una hypostasis, una Dei Verbi natura incarnata et perfecte inhumanata, non autem duae naturae, neque duae * hypostases, neque duae substantiae, neque duae personae, quia neque duo *sunt* Domini, neque duo filii, neque duo christi, propterea quod istae substantiae vel hypostases vel naturae in propria subsistentia et separate et singulariter non subsistunt [4], sed absque defectu et absque confusione in compositione agnoscuntur, unaque ex ambabus absolvitur natura et hypostasis Verbi incarnata, ita

[1] *P. Gr.*, LIX, 80. — [2] ὁμολογουμένως. — [3] In margine notatur: « *Formulam* « ex duabus substantiis » decrevit non dicendam esse, in epistula ad Œcumenium ». Et re quidem vera, cfr *Patrol. Orient.*, t. XII, p. 193. — [4] Haec verba Severi: « neque duo *sunt* Domini... non subsistunt », graece habentur *P. Gr.*, LXXXVI, 923.

ut separentur quidem in sola contemplatione ea, ex quibus *est* unus Christus et differentia eorum appareat, sed post unionis cogitationem dualitatis separatio evanescat, quemadmodum in antea dictis plene exposuimus.

Si quis autem substantias intelligat secundum communem significationem atque genericam notionem, secundum quam substantia multarum hypostasium comprehensiva est, ut divinitatis substantia trium hypostasium Patris et Filii et Spiritus sancti, et humanitatis substantia omnium hypostasium hominum *comprehensiva est*, et ex istis *substantiis* dicat unum Christum compositum esse: iste amentiae ultimaeque impietatis condemnationem suscipiet. Insuper incurris, o Grammatice, in reprehensionem perridiculae istius *sententiae*[1], quae post ineruditam impietatem tuam devolvitur et pessime censet sanctam Trinitatem incarnatam esse toti humanitatis generi totique humanae substantiae secundum genericam notionem et communem significationem. Ex una enim hypostasi Dei * Verbi uniusque rursus carnis, ex deipara Maria ortae, rationali anima animatae facta est hypostatica unio, ex qua unus Emmanuel *esse* intelligitur atque dicitur. Neque quia hypostasis Verbi est in substantia et in communi significatione divinitatis, quam plene et perfecte et absque defectu cum Patre et Spiritu participat et secundum quam illis consubstantialis est, ideo etiam hypostases quae cum ipsa *Filii hypostasi* substantiam et cognationem[2] divinitatis participant, Patris dico atque Spiritus sancti *hypostases*, cum ipsa fiunt carne indutae[3], ita ut censeantur et ipsae incarnatae. Neque rursus quia caro ex Maria *orta*, anima menteque praedita, quae Verbo hypostatice unita est, in substantia et generica significatione humanitatis est, atque *eas* perfecte et sine defectu etiam participat cum iis *carnibus*, quibus consubstantialis est, ideo nos quoque id habemus, quod cum ipsa Verbo hypostatice uniti sumus, quia humanitatis et communis substantiae definitionis cognatione cum ipsa *Christi carne* coniungimur. Ipsae enim secundum genericam significationem substantiae,

* p. 223.

[1] τοῦ γέλωτος, in sensu obiectivo rei, quae risum movet. Ceterum, sensus huius loci non clarissimus apparet. — [2] συγγένεια. — [3] ἔνσαρκος.

— dico: divinitatem, id est, sanctam Trinitatem, et humanitatem, id est, totum humanitatis genus, — absolute distant et separantur, minimeque inter se componuntur; Christus autem non ex genericis substantiis componitur, sed ex una Dei Verbi hypostasi et ex una carne, ex deipara Virgine *orta*, rationaliter animata, estque unus ex * duobus: qua Deus Verbum, Patri et Spiritui homogeneus est, id est, eandem cum illis substantiam participat, et consubstantialis; qua incarnatus autem, homogeneus est et nobis, id est, eandem cum hominibus substantiam participavit et est nobis idem consubstantialis. Neque quia genericae substantiae, divinitas et humanitas, inter se absolute distant et procul sunt naturae definitionibus, ideo ipse quoque Christus dividitur cum istis *substantiis*, ex quibus non componitur: non enim generica divinitatis substantia, trium hypostasium comprehensiva, cum generica humanitatis substantia seu toto hominum genere, composita est unumque Christum absolvit, sed una Verbi hypostasis ineffabilem cum una carne anima menteque praedita compositionem suscepit et Emmanuel vocata est.

* p. 224.

Ita enim videre licet etiam in constitutione cuiuslibet hominis. Nam unusquisque, verbi gratia Paulus, ex una rationali anima unoque corpore componitur, quae inter se diversae speciei[1] sunt minimeque consubstantialia. At, non propterea quod Pauli anima, cum una sit, ad genus et ad substantiam omnium rationalium animarum refertur, rursusque *Pauli* corpus, cum unum sit, ad genus et ad substantiam omnium humanorum corporum refertur, ideo Paulum ex ipsis generibus aut ex ipsis substantiis comprehensivis compositum censemus; aut versa vice, quia genus omnium rationalium animarum et genus substantiaque corporum naturae definitionibus dividuntur, numquid ideo Paulus, qui ex una anima unoque corpore absque sectione componitur, et est una natura unaque hypostasis composita, simul cum genericis substantiis dividitur? Ipsa enim unius hominis et unius hypostaseos, id est, Pauli compositio, * ex diversae substantiae *rebus* subsistit, *scilicet* ex anima et corpore; non tamen quia ipsa quidem anima

* p. 225.

[1] ἑτεροειδής.

sub rationalium animarum substantiam et genus cadit, corpus autem humanorum corporum substantiae et generi subiacet, *ideo* cum illis secundum substantiarum generumque diversitatem hypostasis separatur, propterea quod illa, ex quibus subsistit, referuntur ad diversa genera et *diversas* substantias, quae prorsus et omnimodo inter se distant et quantum videre licet sensibile ab intelligibili distare. Sic enim sanctus quoque Cyrillus, in secunda ad Succensum epistula, scripsit: CYRILLUS: « Cuiusmodi res est homo ex anima et ex corpore. Nam diversae secundum speciem sunt huiusmodi res minimeque inter se consubstantiales; ubi autem unitae sunt, unam hominis naturam absolverunt, quamvis in compositionis ratione adsit differentia secundum naturam eorum, quae in unitatem congregata sunt [1]. »

CAPUT VICESIMUM NONUM

Perscrutatio [2] disputationis iam in superiori capite habitae adversus impiam et amentem quaestionem, quae dicit: Si dicatis Christum Deo et Patri secundum divinitatem, nobisque consubstantialem secundum humanitatem, cogimini illum in duabus substantiis dicere.

Numquid ergo, o Grammatice, iuxta manifestam [3] et crassam et impiam ineruditionem tuam, quia Paulus habet animam animabus nostris consubstantialem, itemque corpus consubstantiale humanis et homogeneis corporibus, in duo consubstantialia dissecabitur, * ut tibi placet dicere, Paulus, qui ex duobus subsistit, *scilicet* ex anima et corpore, quae diversae speciei sunt, minimeque inter se consubstantialia sunt? Aut Emmanuel, qui ex una Dei Verbi hypostasi et ex una carne, ex deipara Maria *orta*, atque rationaliter animata, in insecabilem et ineffabilem unionem compactus est, atque ex naturali coniunctione eorum, quae substantiis inter se differunt, unus est, Patri quidem et Spiritui secundum divinitatem consubstantialis, nobis autem, homini-

* p. 226.

1 *P. Gr.*, LXXVII, 241. — 2 Vide notam ad h. l. in textu. — 3 Ad literam: « calvam ».

bus, consubstantialis idem secundum humanitatem, similem sectionem patietur et in duos consubstantiales dividetur ille unus, qui ex duobus *est*, illa una persona, illa una hypostasis, illa una natura Dei Verbi incarnata? Et de iis, qui recta sentiunt, haec inerudita et omnem mentis stuporem exsuperantia dicere audes: GRAMMATICUS: « Quomodo autem Christum et Patri consubstantialem et nobis consubstantialem post unionem statuunt, et duos quidem consubstantiales confiteri non cessant, duas autem substantias negant [1]? »

Et quomodo censebimus, o ridicule, duo potius esse illum unum Dominum Deum Iesum Christum, secundum tuam impietatem, non autem ex duobus, ex divinitate Patri et Spiritui consubstantiali et ex humanitate nobis, hominibus, consubstantiali? Quomodo autem is, qui illud dicit, duo consubstantialia dicit? Aut putasti idem esse duo impie dicere atque ex duobus dicere? At neque communium notionum, neque piae sanctorum Patrum institutionis ratio isti dementiae consentit! Nam dualitas separationis significativa est; *formula* « ex * duobus » vero compositionis et inconfusae unionis indicativa est. Etenim, quia ex duobus, ex divinitate *nempe* et ex humanitate, unus est Christus, unaque natura et hypostasis Dei Verbi incarnata, *ideo* necessario et consequenter idem Patri quidem secundum divinitatem consubstantialis, nobis autem etiam secundum humanitatem consubstantialis idem perspicitur, ita ut idem quoque *sit* Dei Filius et idem hominis Filius, non autem ideo duo Filii, sed unus idemque *Filius*. Nam homo quoque nostri similis ex mortali corpore est atque ex immortali et rationali anima; et idem mortalis vocatur idemque rationalis appellatur, neque naturalis diversaque significatio animae et corporis dividit compositionem, neque illum ex duobus unum hominem duos *homines* efficit: est enim homo una hypostasis, una natura, una persona, non quidem simplex sed composita.

* p. 227.

Optime autem et sicut te calumniam parantem decebat, de nobis scripsisti: GRAMMATICUS: « Quomodo autem Christum et Patri consubstantialem et nobis consubstantialem post uni-

1 Locum non repperi.

onem statuunt[1] », quin adderes: « *Christum* eundem ». Et re quidem vera, si non idem sit, sed unus quidem Patri consubstantialis, alter autem nobis consubstantialis, hominis et voluntatis aequalitate[2] uniti, et ideo ambo unus Christus dicantur atque concipiantur, tunc et duae naturae et duae hypostases et duae substantiae aditum habent. Vehementer veritatis virtutem admiratus sum, quomodo *scilicet*, cum duas etiam naturas dicatis vos, sicque unum Christum dividatis, et deceptionis causa atque per meram fallaciam simuletis vos rectis vocibus uti, et duas quidem naturas voce « individuas » * tegatis, Christum autem divisum abscondatis, specie tenus illum « unum eundemque » dicendo, ipsa veritas vos toties impellat ut mendacii vestri velamina obliviscamini et impietatem vestram aperte ostendatis. Ecce enim te quoque coegit ut ex thesauris cordis tui ostenderes undenam censeas dicasque « duas substantias » unum Christum *esse*. Certum est ex eo quod non confitearis eundem Patri secundum divinitatem consubstantialem eundemque nobis, hominibus, secundum humanitatem consubstantialem, sed unum quidem Patri consubstantialem, alterum autem nobis etiam consubstantialem, *duas substantias* unum Christum vocari: idque magna tua adversus nos accusatio clamat: Grammaticus: « Quomodo autem Christum et Patri consubstantialem et nobis consubstantialem post unionem statuunt, et duos quidem consubstantiales confiteri non cessant, duas autem substantias negant[1]? »

* p. 228.

Scito ergo ex iis, quae scripsisti, et, sicut divus Hiob dicit[3], ex manu tua reprehensionem tuam haberi. Nos enim ideo ipsum Christum duas substantias non dicimus, quia confitemur eum ex divinitate Patri consubstantialem, ex humanitate nobis, hominibus, consubstantialem, unam esse personam et unam hypostasim unamque naturam Dei Verbi incarnatam, et Patri quidem secundum divinitatem consubstantialem, nobis autem, hominibus, secundum humanitatem eundem consubstantialem. Si autem a confessione tua auferas id, quod « eundem » dicas, quemadmodum accusationis tuae enuntiatio vult, consequenter gignis genimina talis separationis, duas substantias et

1 Locum non repperi. — 2 ὁμωνυμία, ταὐοβουλία. — 3 Hiob, xxiii, 2,

duas naturas et duas hypostases et duas personas, iamque sequuntur et duo christi et duo filii; et naturis quidem * atque substantiis mutuata individuarum et unitarum *naturarum et substantiarum* persona persuasibiliter imponitur, ipsae autem duae personae et duo filii unum eundemque Christum induunt. Qui enim Emmanuelem non dicit ex duobus esse, neque dualitatem post unionem negat, iste non novit unum eundemque esse Christum Iesum Deum et hominem, illud quidem aeterno exsistentem, hoc autem propter nos immutabiliter et vere, manendo id, quod erat, novissime factum. Quod clare etiam ostensum est verbis sancti Cyrilli, in iis, quae considerata et in medium allata sunt, quaeque omni tuba clarius clamant, modo quidem haec: Cyrillus: « Verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[1] », modo autem rursus, per exemplum communis hominis nostri similis: « ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[2]. »

* p. 229.

Itaque nos non negamus ea, ex quibus unus et solus est Christus, duo autem illa dicere post unionem non toleramus, cum sancti Cyrilli et virorum theologorum ipsi similium voce didicerimus destructivam [.........] dualitatis esse hypostaticam unionem, quemadmodum versa vice dualitas sectio unionis est. Ideo ergo Christum ex duabus naturis confitemur, illum autem duas naturas esse non dicimus; et illum dicimus ex duabus substantiis, id est, ex duabus hypostasibus Dei Verbi et unius carnis rationali anima animatae, quae etiam naturalis unionis coniunctione coniunctae sunt; * duas autem substantias *illum esse* non dicimus, sicuti nec duas hypostases, nec duas personas. Si quis autem intelligat substantias secundum communem significationem, quae multarum hypostasium comprehensivae sunt et generis locum tenent, huiusmodi stultitiam et impietatem, dico, ad te, Grammatice, proicimus, quia haec tibi placet et, ut Isaias propheta dicit: « haec est pars tua et haec est sors tua[3] ». Non enim ex genericis substantiis Christus componitur, ita ut Trinitas toti humanitatis generi

* p. 230.

1 *P. Gr.*, LXXVII, 192. — 2 *Ibid.*, 245. — 3 Isai, lvii, 6,

incarnata inveniatur. Quod multoties dicere non cessabimus, « si forte audias, si forte cohibearis [1] » : nam et istud *verbum* ab Ezechiele propheta assumo, dum sophisticam et contentiosam indolem impietatis tuae patefacio.

CAPUT TRICESIMUM

Quod ridiculum est id, quod dicunt isti impii, *nempe* se dicere Christum in duabus naturis, ne deprehendantur dicentes, ut Nestorius, in duabus hypostasibus *Christum esse:* nam ipse quoque Nestorius tum in duabus substantiis, tum in duabus naturis Christum subsistere dicebat.

Qui nempe putas te, eo quod in nominum versationibus verseris, extra Nestorii vesaniam consistere, impium etiam vocas impietatum tuarum patrem et huius variae adulterationis [2] praeceptorem, dicisque, tanquam qui sapientem quamdam *sententiam* inveneris, a te carnem rationali anima animatam, quae Deo Verbo unita est, substantiam vocari, minimeque hypostasim, quia hypostasis est personae designativa, ad Nestorium autem pertinere id, quod dicatur personam * Verbo unitam esse, haec frustra et mendaciter in caput tuum machinatus. Ecce enim ipse Nestorius carnem rationaliter animatam Verboque unitam « substantiam » vocat, in scripto cui titulus: « Adversus theopaschitas », sic: NESTORIUS: « *Vocibus* « Christus » vel « Unigenitus » vel « Iesus » vel « Filius », vel aliis huiusmodi, unionis nomen praedicamus; voce « homo » autem, substantiam, quae assumpta est; voce vero « Deus Verbum », proprietatem hypostaseos, quae inhumanata est, et, ut paucis dicam, multiplicis significationis [3] sunt voces, quae Dominum nostrum Christum mundo praedicant [4]. » ET POST ALIA: « Sed id, quod proprium est, in utraque natura [5] abscondit. Et ab omni dignitate, quae divinitatem et divinitatis corpus decet, semetipsum exinanitum ostendit. Factus est in utroque humilis: divinitati quidem, quae supra figuram est, imposuit for-

[1] EZECH., III, 11. — [2] Sensus manet dubius. Graece forsan legebatur: ταύτης τῆς ποικιλίας τῆς καπηλείας. — [3] πολύσημος. — [4] LOOFS, p. 211, ubi tamen ultima huius loci verba non repperiuntur. — [5] Vide notam ad h. l. textus.

mam figuratam [1] substantiae membrorum; in carne vero sine semine concepta, et peccati experte et aequalis dignitatis cum divina potestate, mortalitatem pro omnibus tulit [2]. » Rursusque, in oratione cui inscribitur: « Expositio fidei [3] », cuius initium est: « Confitemur dogma: consubstantialis [4] », in capitulo quinto decimo, haec dicit: NESTORIUS: « Itaque, in duabus naturis unum Filium et iudicem omnium nostrum exspectamus, visibilem simul eundem et invisibilem; sed visibilem quatenus nostram visibilem substantiam accepit eamque in saecula inseparabilem a se fieri dignatus est, invisibilem vero secundum divinam substantiam, secundum quam eum « nullus hominum vidit, sed nec videre potest [5] », ut divus Apostolus dixit [6]. »

Numquid, cum haec audieris, putabis te aliquid novi invenisse, qui *formulam* « in duabus naturis » in *formulam* « in duabus substantiis » * mutasti? Manifeste enim vides Nestorium in duabus naturis, sicut synodus chalcedonensis *dixit*, dixisse unum Filium, et nomen naturae, sicut ipse *facis*, ad « substantiae » appellationem adduxisse. Illas autem naturas, in quibus Christum esse dicitis, etiam hypostases vocari a iudaica turma eorum, qui eadem ac Nestorius sentiunt, facile disci potest, multis propter abundantiam eorum praetermissis, ex paucis quibusdam claris verbis. Scripsit enim impius Theodoretus, in reprehensione tertii ex capitulis seu anathematismis sancti Cyrilli, haec: THEODORETUS: « Unam quidem personam et unum Filium et Christum similiter confiteri pium est; duas autem hypostases seu naturas unitas dicere non absurdum est, sed iuxta causam consentaneum [7]. » Et qui duas naturas duas hypostases esse dixit, et unam personam se confiteri simulavit, circa finem reprehensionis venerabiles naturas et hypostases in duas personas mutavit, dicens: « Quomodo impietatem adscribit iis, qui dividunt proprietates naturarum, *scilicet* Dei, qui *est* ante saecula, et hominis in fine dierum assumpti, is qui mixtionem nos per alia nomina docet [8]? »

[1] τὴν ἐν σχήματι. — [2] Locum non repperi. — [3] LOOFS, p. 328. — [4] *Ibid.*, p. 329. — [5] I *Tim.*, VI, 16. — [6] Locum non repperi. — [7] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [8] *Ibid.*

Quis ergo eorum etiam, qui obtusiorem mentis aciem habent, non manifeste intelligit eos redargui quod easdem dicant *esse* et naturas et substantias et hypostases et personas? Haec enim una persona, hic unus Filius et Christus, quem confiteri pium esse dicit, in Deum, qui *est* ante saecula, et in hominem in fine dierum assumptum, duabus naturis et duabus hypostasibus *postea assertis*, solutus est; et quodnam est *utriusque* glutinum? Et causa huius *assertionis* ita censetur quidem * cauta, est autem stulta; et facilis est ad redarguendum [1] et divisionem in duo [2] patefacit gravis illa mixtionis accusatio. Qui enim tam absurda cum impietate dixit, egregius Theodoretus, de sancto Cyrillo dicit: « is, qui mixtionem nos per alia nomina docet [3]». At, in defensione ipsius anathematismi, sapienter expandens impietatis *Theodoreti* revelationem, ostendit *Cyrillus* quod sic unita dissecare est dividere in duos filios unum Christum, sic scribendo: Cyrillus: « Neque rursus in duos filios dividere unum Christum et Filium et Dominum quibusdam permittit rectitudinis ratio, sancta et inspirata Scriptura ad hoc nos instituente. Sed exiguam prorsus dogmatum veritatis rationem habet, et eorum, quae ad utilitatem necessaria sunt, sicuti eorum quae ad nocendum nata sunt, quidquam scire haud mediocriter dedignatur; gloriatur autem, ut videtur, mendacio; et calumniae scientiam peritissime disponens, audiat a nobis: « Quid gloriaris in malitia, potens? iniquitatem tota die, iniustitiam cogitavit lingua tua [4] ».

Scito igitur, o Grammatice, dum Nestorii laqueis pedes tuos implicas, dualitatem post unionem, etiamsi naturarum vel substantiarum nomine eam appellare volueris, in duas hypostases et personas cessuram esse. Hypostaticae enim unionis id proprium est, quod velut in subtilibus contemplationibus et in cogitatione et solummodo animae oculis perspiciendo, ut sanctus Cyrillus dicit, consideret ea, ex quibus est Christus, et absque confusione et imminutione duarum naturarum, seu substantiarum, seu hypostasium concursum videat, et sectionis carentiam apprehendat * unionis, secundum quam intelligi-

[1] εὐέλεγκτος. — [2] τὸ τῆς εἰς δύο διατομῆς. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [4] *Psalm.* LI, 3-4; *P. Gr.*, LXXVI, 408.

mus ea in compositione, non autem in propria subsistentia subsistere, et post cogitationem unionis iam non concipiamus sectionem in duo, ita ut ea, quae meris intellectus phantasiis duo apparuerunt, duo quidem iam non sint, utroque autem absolutam esse videamus unam hypostasim et naturam Verbi incarnatam. Haec enim ipsis verbis institutiones manifeste sunt sapientis Cyrilli, imo sententia apostolicae Ecclesiae, sicuti in antea consideratis multis in locis apposuimus.

CAPUT TRICESIMUM PRIMUM

Quod vane ex ignorantia isti impii illudant *sententiae*, qua post unionem unam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur, ac si ante unionem duae naturae fuissent, post unionem vero una ex illis sublata fuisset.

Ubi igitur temetipsum abscondes, qui contra inspiratas huius eximii mystagogi voces haec tota insaniae *et* stuporis mentis impietate plena scribis: Grammaticus: « Sed adversarii forsitan dicent ante unionem haberi differentiam, post unionem vero minime. De huiusmodi viris potius doleo tanquam *de iis*, qui Nestorii *doctrinas* mente tenent. Etenim iste quoque *Nestorius* tradit primo factum esse hominem et deinde in eo Deum Verbum habitasse dicit: quod tum hodierni calumniatores, tum Nestorii sectatores affirmant. Sed forsan verbum mutantes dicent: « In unione duo dicimus, post unionem autem unum [1] ». Eos, qui tales * sunt, interrogabimus: « Utrum aliud an idem significari putatis *verbis* « post unionem » et *verbis* « in unione »? Quod si aliud significari dixerint, dicant *differentiae* modum. Numquid quasi sublata iam atque soluta unione, iuxta impiam [2] doctrinam eorum, qui Scripturas depravant dicuntque Deum Verbum a se deposuisse carnem post ascensionem in caelum? Sic enim re vera iuxta amentes, reiecta post unionem una natura, quae prius in unione erat, fit etiam ut una evadat natura post unionem. Aut istam quidem *sententiam* formidabunt, timentes ne redarguantur, ut qui Deum Verbum carne spolient, dicent autem unionem sta-

[1] Id est: duas naturas et unam naturam. — [2] ἄθεος.

bilem esse, sed illa unam naturam absolvi? Nos autem ad haec dicemus, manente unione, duas quoque naturas in unione omnino manere; sin autem, unio non habetur [1]. »

Itaque, dic mihi: quod dicis te de nobis dolere, cum ista irremediabili ebrietate ebrius sis et ita insanias et multo dolore et lacrimis et lamentationibus indigeas, itane mirabile? Tales enim sunt ii, qui ebrii sunt non vino tantum sed etiam ea, quae ex variis causis est, insania et ebrietate: qui desperantes ipsi [2] et vertigine laborantes, putant adstantes, saepissime etiam non commotos, contristari. Verum explica nobis, o strenue: cum sapiens Cyrillus adversus Nestorium pugnat et, in tomo secundo adversus * blasphemias eius, dicit: « Desine dividere naturas post unionem [3] », numquid secundum temporalem comparationem intelliges illam *formulam* « post unionem » et ante unionem duas naturas Christi esse dices, easque divides, et machinaberis adversus Doctorem dicesque ad eum: « Eo quod dixisti: « Desine dividere naturas post unionem », per comparationem intelligendum praebes etiam ante unionem illas *naturas* substitisse et divisas fuisse »? Et quis est qui ita, sicut tu, insaniit estque ineruditus, ut haec dicat?

* p. 236.

Etenim ante unionem et incarnationem simplex erat Verbum et carnis atque compositionis expers; ubi autem misericorditer et propter dispensationem voluit homo immutabiliter fieri, manendo etiam id, quod erat, tunc et Christus et Emmanuel nominatum est, ex re nomen desumens et nobiscum factum, cum carnem nobis consubstantialem et anima menteque praeditam sibi hypostatice univit, quae antea non subsistebat neque antea plasmata est, sed in ipsa ad Illud unione ineffabiliter substitit, ita ut ipsius Verbi incarnati esset conceptio, plasmatio, incrementum, lenta progressio et generatio, quia naturalem unionem carnis natura aptae quae conciperetur et plasmaretur et incresceret et gigneretur, assumpsit, licet illam *carnem* supra naturae terminos esse ostenderit, quatenus ex Virgine sine semine et ex Spiritu sancto *nata est*, et quatenus genitricis virginitas in partu non soluta est. Igitur

1 Locum non repperi. — 2 Vide notam ad h. l. textus. — 3 *P. Gr.*, LXXVI, 92.

qui illum « Christum » dicit, [illum] post unionem *consideratum* omnino significat. Sic enim etiam sanctus Cyrillus, in tomo primo adversus Nestorii blasphemias, scripsit: CYRILLUS: « Tunc enim « Christus Iesus » vocatus est Filius, cum esset Deus Verbum et sapientia et vita * et lux. Igitur perspicuum est quod tempus huius ipsius appellationis secum concurrentem generationem habet; eam *generationem* dico, quae per sanctam Virginem *facta est* [1]. » Et iterum in libro secundo similiter dicit: « At vero Christi nomen ac res nullo modo convenit illi ex Deo Patre Verbo, cum Illud nude et secundum se et extra carnem intelligimus [2]. »

* p. 237.

Quomodo ergo non prorsus stultitiae sit, et quidem omnem ineruditionem praetergredientis, cum Deus Verbum post unionem ad carnem rationali anima animatam vocetur Christus, ante unionem ea considerare, ex quibus Christus *constituitur*, etsi potius ante saecula erat Verbum? Idem enim sit ac si quis, de mente exiens [3], dicat ante incarnationem Verbum incarnatum esse. Nam nomen « Christus » unionis indicativum est. Nisi enim is, qui secundum naturam carnis expers est, per dispensationem incarnatus esset et ad talem exinanitionem se demisisset, non conveniret ipsum ungi; etenim suo Spiritu ungitur, cum Deus sit, propterea quod homo factus, is quem ungi non decebat, ut tanquam generis humani primitiae unctionis gratiam ad nos mitteret, non sibi sed nobis unctus. Itaque prorsus anile et totius nequitiae plenum est id, quod quis hallucinatus fingat ante incarnationis unionem substitisse carnem Verbi incarnati et duas naturas ante unionem velut in somnio imaginetur: haec enim pertinent ad iocum [.........] eorum, qui conantur convicium affingere sancti Cyrilli voci, quae diligenter expolita est et dicit: « Desine naturas dividere post unionem [4] ». *

* p. 238.

Nam quia in cogitatione tantum et quasi in subtili contemplatione separamus ea, ex quibus *est* Christus, et naturalem coniunctionem duorum quorumdam, divinitatis et humanitatis, videmus, simul ingreditur etiam unionis cogitatio et quasi

1 *P. Gr.*, LXXVI, 48. — 2 *Ibid.*, 69. — 3 ἐξίστασθαι τοῦ φρονεῖν. — 4 *P. Gr.*, LXXVI, 92.

clamat: Scito, tu, differentiam secundum naturam et praeterea iam noli remanere in illa. Etenim abolita est, post unionis cogitationem, sectio in duo, manentibus quidem absque imminutione et immutabiliter iis, ex quibus unio *facta est*, in compositione vero subsistentibus et non in singularibus proprietatibus secundum subsistentiam [1], ita ut etiam duo numerentur; unam autem ex duobus naturam et hypostasim, *nempe* Verbi incarnatam *naturam et hypostasim*, absolvunt. Unum enim non solummodo de simplicibus praedicatur, sed etiam de iis, quae secundum compositionem coniuncta sunt. Quod *unum secundum compositionem* in contemplatione tantum separari solet [2], ita ut agnoscantur ea, e quibus compositum est, secundum hypostasim quidem non separatur, neque in duo iam solvitur *desinendo* unum esse. Nam, post unionis cogitationem, quae in separatione secundum contemplationem *facta* visae sunt duae naturae et hypostases, iam non sunt duo, quia ex utroque illud secundum compositionem unum absolutum est.

Itaque illud *effatum*: « Desine dividere naturas post unionem » non iuxta temporalem illam distinctionem dictum est, quatenus perperam censet quis duas naturas esse ante unionem et incarnationem, sed ad mentem eorum, qui scrutantur et discere volunt, ut fieri potest, inconfusam simul et inseparabilem *indolem* unionis. Vidisti enim, ait, velut in cogitatione naturalem differentiam, et tanquam aliud atque aliud divinitatem et humanitatem, ex quibus *habetur* unus Christus, et separasti ea, quae in contemplatione *considerata sunt*, et agnovisti neque mutationem neque confusionem *eorum factam esse;* cum * unionem intellexeris, desine dividere naturas post unionis cogitationem: qua enim cogitatione separas, eadem statim, ubi ea, ex quibus *est* Christus, coniungis, invenis unam hypostasim et naturam Dei Verbi incarnatam, iamque non duas *naturas;* duae enim *naturae* sectionis, non autem unionis, consummatio sunt.

* p. 239.

Haec autem mea non esse *ut pateat*, apponam sancti Cyrilli

1 Haec verba Severi: « manentibus ... proprietatibus », graece habentur *P. Gr.*, LXXXVI, 1848. — 2 φιλεῖ διαιρεῖσθαι.

voces, quae ipsis verbis manifeste confirmant ea, quae dicta sunt, immo ostendunt ex ipsis *Cyrilli vocibus* illa etiam dicta esse, solamque enuntiationis dispositionem a nobis suffectam esse. Namque in tomo secundo adversus Nestorii blasphemias sic scripsit: CYRILLUS: « Desine dividere naturas post unionem; etenim, aliud atque aliud esse divinam et humanam naturam scire quidem dico prudentibus viris conveniens et necessarium, — distant enim inter se, et quidem inaestimabilibus differentiis, — at ubi eas induxeris in veram et hypostaticam unionem Salvatoris omnium nostrum Christi, recusa divisionem: sic enim unum confiteberis Christum et Filium et Dominum [1]. » Ecce quomodo iubet ipsum Nestorium *ea* simul inducere in unionem; et evidens est eum, postquam in cogitatione *ea* coniunxerit, recusaturum esse sectionem et separationem velut in cogitatione *factam*. Patet igitur ad eum, qui dispensationis inhumanationis mysterium considerat, dictum esse: « Desine dividere naturas post unionem », id est, post cogitationem unionis.

Quod autem « non dividere naturas post unionem » non est « duas dicere *naturas* », sed « unam *naturam* incarnatam confiteri », *id* ipse rursus, in eodem tomo, manifeste significavit sic: CYRILLUS: « Una enim iam concipitur natura post * unionem, ipsius *nempe* Verbi *natura* incarnata, sicut etiam de nobis ipsis convenienter intelligitur. Homo enim unus re vera est, compositus ex dissimilibus inter se rebus, ex anima, inquam, et corpore. Porro necesse est etiam nunc notare nos dicere corpus illud, quod Deo Verbo unitum est, fuisse anima rationali animatum [2]. » Et in epistula ad Acacium, episcopum melitinensem, manifestissime ostendit secundum inexplicabilis et verae et naturalis unionis cogitationem, et ut usque ad id, quod in cogitatione et contemplatione *fit*, atque solummodo ad *naturarum* differentiam cognoscendam, exsurgat intellectus eius qui *incarnationem* considerat et scrutatur, dici: « Desine dividere naturas post unionem ». Sic autem *verba eius* se habent: CYRILLUS: « Quapropter ergo ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogita-

* p. 240.

1 *P. Gr.*, LXXVI, 92. — 2 *Ibid.*, 60.

tionibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [1]. » RURSUSQUE, PAULO POST: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse secundum unionem coniuncta videt prorsus hominis intellectus; attamen, ubi unita sunt, nullo modo ea separat, sed unum, qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit [2]. »

Cuinam igitur exinde manifestum non est ad intellectum humanum, qui considerat et scrutatur et velut in solis cogitationibus separat atque videt duo illa, quae inter se ineffabiliter et inconfuse coniuncta sunt, statimque in iisdem cogitationibus ea, quae in contemplatione separata sunt, coniungit, dictum esse post unionem et post eius cogitationem * tolli illam in duo sectionem, quam contemplatio distinxerat, eo quod unam ex duobus hypostasim et naturam Verbi incarnatam, non autem duas rursus post unionem *naturas* videat? Sin autem, procedens quivis unus [3] ostendat sanctum Cyrillum alicubi dicentem: « Itaque, post unionem, Christum esse dicimus in duabus naturis seu substantiis hypostatice unitis », ut Grammaticus dicit. Sed id non poterit *ostendere:* ubique enim post unionem inducit *Cyrillus* hanc *assertionem, scilicet* unam esse naturam ipsius Filii incarnatam. Quomodo autem isti stulti et adversus ea ipsa, quae evidentia sunt, audaces [4], non reputant demonstrationem huius *vocis* « duo » esse sectionem et separationem, eumque, qui ex compositione in indivisibilem singularitatem compactus est atque in una hypostasi et natura est, — cuiusmodi res est homo nostri similis, — vel secundum cogitationem « duo » a nullo dici, qui *cum* in contemplatione non diviserit. Rursusque promptum est sancti Cyrilli vocem id clamantem audire. Etenim, in epistula secunda ad Succensum, nonnullis illud sophisma graveque problema

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [3] παρελθὼν ὁ βουλόμενος. — [4] Sensus mihi haud certus; forsan graece legebatur: καὶ πρὸς τὰ πρόδηλα ἀναισχυντοῦντες.

obicientibus: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise [1] », sic scribit: CYRILLUS: « Adversatur autem iterum et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere. At eos fugit ea omnia, quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam omnino et singillatim a se mutuo recedere. Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, * animae unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non ponimus seorsum naturas, neque rursus totam virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [2]. »

Igitur, o Grammatice, si sanctum Cyrillum secutus esses et mentem impietate plenam non habuisses, sed illum audivisses dicentem: CYRILLUS: « Non enim de iis tantum, quae sunt secundum naturam simplicia, « unum » vere dicitur, sed etiam de iis, quae secundum compositionem congregantur [3] », eaque sola contemplatione separari solere [4], sed post unionis cogitationem, « tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [5] », et manifeste clamantem: « ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [6] », — non utique ausus esses haec stulte simul et scelestc interrogare: GRAMMATICUS: « Numquid tanquam sublata atque soluta unione, iuxta impiam [7] doctrinam eorum, qui Scripturas depravant dicuntque Deum Verbum a se deposuisse carnem post ascensionem in caelum? Sic enim re vera iuxta amentes, reiecta post unionem una natura, quae prius in unione erat, fit ut una maneat natura post unionem. Aut istam quidem *sententiam* formidabunt, timentes ne redarguantur ut qui Deum Verbum carne spolient, dicent autem unionem quidem

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [3] *Ibid.*, 241. — [4] Cfr *ibid.*, 245. — [5] *Ibid.*, 192. — [6] *Ibid.*, 245. — [7] ἄθεος.

* p. 243. manere, unam autem * naturam absolvi? Nos autem ad haec dicemus, manente unione, duas quoque naturas in unione manere; sin autem, unio non habetur [1]. »

Ecce vero, collatis inter se verbis sapientis mystagogi atque tuis pollutis *verbis*, omnibus patuit non in nos potius, sed in illum te pugnare. Nam ea, ex quibus unus Christus secundum compositionem perfecte et absque defectu substitit [2], haud aliter duo vocari possunt, nisi quis sola contemplatione *ea* separet, ita ut post cogitationem unionis, ea quae in subtilibus cogitationibus duo visa sunt, iam duo non sint, sed utroque videamus absolutam esse unam hypostasim atque naturam Verbi incarnatam. Itaque, qui post unionem dicis [3] « duas naturas », licet dicas « individuas atque unitas », quasi solvens illum secundum compositionem unum insolubilem et male permanens in separatione in intellectu *facta* et perfecte dissecans, audi sanctum Cyrillum dicentem: Cyrillus: « Adversatur rursus et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere [4]. » Non enim subsistunt, ut saepe diximus, in propriis singularitatibus subsistentiae suae, sed potius in compositione, cum non amiserint quidem id, quod erant, prohibeantur autem quominus in dualitate subsistant propter unionem, quae ex utraque unam ostendit naturam Dei Verbi incarnatam.

Igitur sapientem Cyrillum, qui dicit: « ita ut illae duae * p. 244. *naturae* non * iam sint duo, sed utraque unum absolvatur [5] », inscius spernis, o impie, immo id volens facis, scribendo: Grammaticus: « Sic enim re vera iuxta amentes, una natura, quae prius in unione erat, excidente, convenit unam naturam post unionem manere [6] », et pro impietate pugnas, dicendo « manente unione, duas quoque naturas omnino manere; sin autem unionem non haberi [7] ». Et nescis in caput tuum converti hanc stultitiam, quam in te proferimus, dicentes, — ex nostris quidem nihil, — verba sancti Cyrilli, in defensione decimi anathematismi adversus reprehensiones impii Theodo-

1 Locum non repperi. — 2 Haec verba Severi: « Ea, ex quibus... subsistit », graece habentur *P. Gr.*, LXXXVI, 1848. — 3 ὁ λέγων. — 4 *P. Gr.*, LXXVII, 245. — 5 *Ibid.* — 6 Locum non repperi. — 7 Item.

reti, quae sic se habent: Cyrillus: « Si enim vera est unio, non duo omnino sunt, sed ex utroque unus et solus intelligitur Christus [1] »; rursusque, in epistula ad Acacium: « verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [2] »; et in secunda epistula ad Succensum: « ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [3] ». Unio enim ex duabus aut ex pluribus rebus habetur; quod autem ex ea perficitur, unum est, non autem duo aut plures: id enim nihil aliud esset, nisi illud unum solvi in ea, ex quibus compactum est. Nam si in duabus naturis seu substantiis subsistentibus, ut contentiose et impie dicis, agnosceretur Christus, quid opus esset in cogitatione aut velut in subtilibus contemplationibus dividere eum, qui dualitate quidem separaretur, qua * autem absque divisione caste divulgatus, verae unionis forma indueretur et virtutem eius abnegaret, ut Apostolus alicubi dicit [4]? * p. 245.

CAPUT TRICESIMUM ALTERUM

Quod Nestorius quoque unius naturae dissipationem et defectionem arguebat; et quod frustra zelatores eius, contaminantes blasphemiam suam, asserunt se dicere unum Christum non quidem duas hypostases, sed duas substantias *esse*; et quod hypostaticam unionem etiam unionem secundum substantiam Ecclesiae doctores vocaverunt.

Malo autem spiritu, qui Nestorium ad insaniam adegit et in te loquitur, similia *verbis* istius loquente adversus eos, qui unam esse naturam Dei Verbi incarnatam confitentur et duas naturas post unionem dicere consequenter recusant, audi quae scripta sunt ab isto impio adversus sanctum Cyrillum, in hypomnematis quae tanquam Ephesi composita confinxit: Nestorius: « Hypostasim Dei Verbi cum mutabilitate carneae *hypostaseos* confundit, cum unam divinitatis Filii et carnis substantiam dicat, ita ut totus aut increatus aut creatus appareat, et unius naturae [5] prorsus delet confessionem, sive

1 *P. Gr.*, LXXVI, 445. — 2 *P. Gr.*, LXXVII, 192. — 3 *Ibid.*, 245. — 4 Cfr II *Tim.*, III, 5. — 5 Id est, unius ex naturis.

naturae increatae divinitatis, quae humanitatem nostram assumpsit, sive creatae humanitatis, quae assumpta est[1]. » In suo autem libro, quem inscripsit: « Adversus Theopaschitas seu Cyrillianos », per interrogationem et responsionem *composito,* scripsit haec: Nestorius: « Theopaschita. Et quomodo nos compositionis dualitatis naturarum insimulabimur, qui dicimus Christum unam *esse* naturam Dei incarnatam? — Orthodoxus dicit: Id ipsum, cuius argueris, excusationem eorum, quorum argueris, censes? Nam confessus es * a vobis statui Christum esse unam naturam ex incorporalitate et corpore, atque hypostasim uninaturalem τῆς θεοσαρκώσεως. Id autem est confusio duarum naturarum, quod naturas spoliat hypostasibus propriis[2], cum inter se confunduntur[3]. »

* p. 246.

Attende igitur, o Grammatice, quomodo insaniae seu furoris istius vestigia persequaris. Dicit iste adversus sapientem Cyrillum: Nestorius: « Hypostasim Dei Verbi cum mutabilitate carneae *hypostaseos* confundit, cum unam divinitatis Filii et carnis substantiam dicat[4]. » Tu quoque adversus me dixisti: Grammaticus: « Quid autem et iste? Unam substantiam non derelinquit, sed plene perturbat et confundit[5] », et in principio libelli stoliditatis *tuae* similiter: « Quomodo igitur in una substantia post incarnationem Filius Dei[6]? » Dixit iterum Nestorius, dissipationis unius naturae *Cyrillum* insimulans: Nestorius: « et unius naturae prorsus delet confessionem[6] »; tuque, mendaci patri tuo similis factus, similem accusationem profers et dicis: Grammaticus: « fitque ut una evadat natura post unionem[8] ». Rursusque Nestorius, postquam a confusionis calumnia et ab accusatione dissipationis unius naturae prosiluisset, etiam accusabat *nos,* quod unam diceremus naturam Dei Verbi incarnatam, ex divinitate et ex humanitate, et dicebat: « Statuitis Christum ex incorporalitate et corpore esse, atque uninaturalem hypostasim τῆς θεοσαρκώσεως. Id autem est confusio duarum naturarum, quod naturas spoliat hypostasibus propriis, cum inter se confunduntur[9] ». Tu quoque, sicut iste, conversus es ad eandem accusationis spe-

1 Locum non repperi. — 2 ἰδιόκτητος. — 3 Loofs, p. 209. — 4 Locum non repperi. — 5 Item. — 6 Item. — 7 Item. — 8 Item. — 9 Loofs, p. 209.

ciem, impietatis patris tuae imaginem ferens et dicens: Grammaticus: « Dicent autem * unionem *quidem* manere, unam autem naturam absolvi. Nos autem ad haec dicemus, manente unione duas quoque naturas in unione manere; sin autem, unio non habetur[1] ».

* p. 247.

At dices forsan, o Grammatice, Nestorium nolle, ut ipse etiam dixit, naturas suis hypostasibus spoliari, te autem naturas non *tanquam* hypostases, sed *tanquam* substantias intelligere. Verum, scito te ad deceptionem ex vestra nominum substitutione nullam utilitatem percepturum esse. Etenim iste quoque *Nestorius* naturas « substantias » nominare novit, ut supra iam ostendimus. Attamen, aliud tibi addemus testimonium illius, quod reperitur in epistula scripta adversus secundam sancti Cyrilli *ad ipsum* epistulam; in qua *epistula* sic habetur: Nestorius: « Quia enim mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum Verbum patibile suspicaretur, apponit *nomen* « Christus », tanquam appellationem impatibilis et patibilis in una singulari persona substantiae significativam, ita ut et impatibilis et patibilis sine periculo Christus vocari possit: impatibilis quidem secundum divinitatem, patibilis autem secundum corporis naturam[2]. » Et is, qui naturas, sicut tu, *tanquam* « substantias » intelligit et appellat, etiam « unitas », rursus sicut tu, illas confitetur. Nam in oratione cuius titulus: « Cum lectum esset: « Quoties peccabit in me frater meus et dimittam illi[3] », et ante illum dixisset alius episcopus de longanimitate[4] », *et* cuius initium est: « Pulchrum quod praecedens doctor narravit[5] », sic scripsit: Nestorius: « Ego vero, id est, persona Ecclesiae, quibuscumque loquor, idem coram omnibus appono, perfectum Deum * et perfectum hominem vocans Christum, naturas non commixtas sed unitas[6]. »

* p. 248.

Quomodo igitur, o ter infelix[7], putas te insipientiae tuae verba cohonestaturum esse dicendo quidem te confiteri duas substantias et naturas inseparatas, duas autem hypostases

1 Locum non repperi. — 2 *P. Gr.*, LXXVII, 52. — 3 Matth., xviii, 21. — 4 Cfr Loofs, p. 332, not. — 5 Initium non repperi. — 6 Loofs, p. 332. — 7 τρισάθλιος.

specie tenus negando, et scribendo haec: GRAMMATICUS: « Si ergo alterius non fuit caro propria Dei Verbi, et ante assumptionem non erat, quomodo in duabus hypostasibus propriis dicam, et aliam hypostasim appellabo eam *carnem*, quae seorsum neque substitit neque ullo modo exsistentiam habuit, sed in Deo Verbo *semper substitit?* Quod autem caro non substitit sine Deo Verbo, id testatur Athanasius, qui in epistula ad Iovinianum de fide orthodoxa scripsit: « Simul enim caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis: in ipso namque etiam subsistentiam habuit[1] ». Itaque explica nobis, o egregie, — tuis enim tam subtilibus institutionibus ad interrogandam Prudentiam tuam adducimur, — si ideo particularem illam carnem, quam Dei Verbum sibi univit, quia seorsum minime subsistit, hypostasim non appellas, ne in duabus hypostasibus *Christum esse* dicas, quomodo hanc ipsam carnem « substantiam » appellas illumque *Christum* « in duabus substantiis » esse dicis, nisi quia secundum communem significationem substantiam carnis vocas totum humanitatis genus, illudque tanquam ante inhumanationem existens substantiae divinitatis unis, atque sic « in duabus substantiis unitis » Christum confiteris? Id autem manifesta dementia et pessima insania est, quemadmodum antea multis ostensum est.* Non enim illa secundum communem significationem substantia divinitatis, id est, sancta Trinitas, incarnata est substantiae et toti generi humanitatis; nam haec *sententia* impietatis irrisionem sortietur, ad quam de tuis fabulis loquaciter circumlatis saepe devenire coacti sumus. Si vero, quemadmodum nobiscum confessus es, ut supra positum est[2], uni et particulari cuidam carni hypostasis Dei Verbi incarnata est, illamque *carnem* « substantiam » vocas, noli eam *a Verbo* dualitate abscindere, si tibi placeat eam ante unionem cum Verbo exsistentia praeditam[3] non fuisse. Nam sicut non prius substitit singillatim et separate sine Verbo, ita neque secundum substantiam fuit,

* p. 249.

[1] Locum Grammatici non repperi. Effatum Athanasio tributum vide in *P. Gr.*, XXVIII, 532, et melius apud DIEKAMP, *Doctr. Patr.*, p. 133, — [2] Cfr supra, p. 155. — [3] προϋπάρχειν.

neque exstitit: etenim secundum substantiam esse[1] et exsistere[2] idem est ac subsistere[3], neque quoad hoc ista nomina inter se quidquam differunt.

Quapropter illam unionem, quam sanctus Cyrillus « hypostaticam » vocavit, « *unionem* secundum substantiam » nominavit Gregorius theologus, in epistula ad Cledonium, sic scribendo: GREGORIUS: « Si quis dixerit *Verbum in Christo* sicut in propheta per gratiam operatum esse, non autem secundum substantiam *humanitatem divinitati* adhaesisse et complasmatam esse, a praestantiori efficacia vacuus sit, immo contraria plenus[4]. » Venerabiles autem episcopi, qui ad Pauli samosateni depositionem faciendam congregati fuerant atque, ipsa facta, etiam encyclicam epistulam de depositione illius composuerunt, id ipsum, quod Gregorius, scripserunt de illa ad carnem unione Dei Verbi, qui Patris Sapientia et Virtus est; sicque Pauli errorem expandentes scripserunt: SYNODUS: « Adhaesionem autem aliter ad Sapientiam concipit, secundum institutionem * et participationem, non vero secundum substantiam[5]. » Sicut enim hypostatica unio significat in ipsa ad Deum Verbum unione illam carnem subsistere, eodem modo et illa secundum substantiam unio significat in ipsa ad Deum Verbum unione ad id, ut esset et ad exsistentiam veniret, transisse illam carnem anima menteque praeditam. Et quemadmodum dicimus illam *carnem* non subsistere antequam Verbo uniatur, ita dicimus eam neque esse neque exsistere antequam Verbo uniatur. Itaque, si dicis ideo in duabus hypostasibus a te Christum non proclamari, quia caro ante assumptionem et unionem non subsistit, et re vera impietatem effugis, neque « in duabus substantiis » *Christum esse* dicis: idem enim est *utraque formula*, quod ad impietatem attinet, quia ante assumptionem et unionem *caro* neque erat, neque iam exsistentia praedita erat.

* p. 250.

Ecce enim invitus confessus es τὸ « duo » dicere post unionem eorum *formulam* esse, qui carnem ante unionem et assumptionem exstitisse asserunt, et prius infantem in Virgine

[1] κατ' οὐσίαν εἶναι. — [2] ὑπάρχειν. — [3] ὑφεστηκέναι. — [4] *P. Gr.*, XXXVII, 180. — [5] *P. Gr.*, LXXXVI, 1393.

plasmant sicque persuasibiliter dicunt[1] Deum in eum irrepsisse et in eo habitasse, sicut dicit Diodorus, itemque Theodorus et Nestorius et Theodoretus: qui et ipsi dixerunt duas naturas et substantias et hypostases illum unum Christum *esse*, quemadmodum oratio ostendit. Cur ergo, o egregie, hypostases quidem ita iniuria afficis et separatas vocas et earum separationem patefacis, naturas autem atque substantias diligis et protegis, easque individuas et unitas vocas, in hoc quoque quasi iudex iniquitatis exsistens et veritatem opprimens et ideo correptionem non effugiens. Et immundus es in iniqua haereditate tua, immundior * autem in deceptrice, ut putas, vesania tua: qui hypostaticam quidem et veram et naturalem unionem a te proclamari confiteris et divos Athanasium et Cyrillum polluto ore tuo profers, naturarum autem et substantiarum et hypostasium atque personarum duplicitatem, habitudinalis *unionis* prolem, confiteris et rectorum nominum fuco, meretricum instar, fucaris. Audi igitur convenienter Hieremiam prophetam, immo Deum, qui in illo loquitur, dicentem: « Si coccinis induta fueris et aureo ornamento ornata, et si stibio oculos tuos subleveris, in vanum erit ornatus tuus[2]. »

* p. 251.

CAPUT TRICESIMUM TERTIUM

Quod, supra impietatem, etiam ad ineruditionem omnino pertinet et ad novationem[3] ignorantia plenam id, quod dicitur: « Quia Christum dicimus Deo et Patri secundum divinitatem consubstantialem, nobisque secundum humanitatem consubstantialem, ideo illum in duabus substantiis confitemur, minime vero in duabus hypostasibus, quia illum neque Patri cohypostaticum[4], neque nobis cohypostaticum dicimus. »

Ecce enim, impietatis stultitia cum copiosa abundantia, caeni instar, exundet atque ex ore tuo se effundat, tuas machinationes et fraudes fallaces abscondit, quas ego, propter faetidum odorem illarum, paucis tantum verbis redarguere curabo, cum omnes similiter et perfecte stultitiae blasphemiaeque magnitudinem prae se ferant; ne autem quidquam abscondatur

[1] πιθανολογεῖν. — [2] Jerem., iv, 30. — [3] καινοτομία. — [4] ὁμοϋπόστατος.

occurrentibus iis, quae loquaciter in verbis iterasti, iam redarguta iterum redarguere cogor, repetendo *verba* tua, in quibus videris * non solummodo blasphemas doctrinas, sed etiam insolita nomina innovare, scribendo haec: Grammaticus: « At dicent forsitan isti, qui nihil sanum sentiunt: « Si dicitis « in duabus naturis », prorsus etiam « in duabus hypostasibus » *Christum* dicitis ». Quibus resistere haud difficile est nobis; nam Patrum voces secuti, quia ab illis didicimus Christum dicere Deo et Patri consubstantialem atque nobis consubstantialem, *illum* in duabus naturis, id est, substantiis dicimus. Igitur, si quis inter doctores apud ipsos[1] reperiatur, qui eos docuerit dicere Filium esse Patri cohypostaticum rursusque nobis cohypostaticum, ne abscondatur facies eius[2], sed in lucem proferat *Severus* egregias doctrinas eius. Haec enim cum ab haeresiarcharum institutione collegerit, tanquam orthodoxus ad simplices loquitur. Nam illa *sententia*, quae Filium cohypostaticum Patri confitetur, ad effigiem *sententiae* Sabellii[3] est; id autem quod nobis rursus cohypostaticus *Christus* est, nemo dicere somniavit. Unde, quia Patri consubstantialem nobisque consubstantialem Christum dicimus, illum in duabus substantiis *esse* dicimus; *eum* autem in duabus signatis hypostasibus dicere vitamus: nemo enim cohypostaticum *Patri eum* dixit[4]. »

* p. 252.

Et quem fugit, o omnium hominum stultissime et impietate caece et eorum, quae dicis, prorsus ignare, substantiam et hypostasim, quatenus sunt et subsistunt, idem esse? Illa enim ἀπὸ τοῦ εἶναι, haec autem ἀπὸ τοῦ ὑφεστηκέναι nominatur; esse autem et subsistere, exsistere est; idque strenuum et sapientem Athanasium allegavimus[5], ad episcopos in Africa *constitutos* sic scribentem: Athanasius: * « Nam hypostasis et substantia exsistentia est: est enim et exsistit[6] »; et ipse in lamentabili libello *tuo* id apposuisti atque dixisti. Neque infitias ibis substantiam et hypostasim, τὸ subsistere et esse et exsistere participantes, multo et immenso

* p. 253.

[1] Id est, apud Patres. — [2] Ad verbum: « ne abscondatur quoad lineamenta vultus »: κατὰ τὸν τοῦ προσώπου χαρακτῆρα. — [3] Ad verbum: « κατὰ τὸν χαρακτῆρα τοῦ προσώπου τοῦ Σαβελλίου ». — [4] Locum non repperi. — [5] Cfr supra, p. 56. — [6] P. Gr., XXVI, 1036.

intervallo a se mutuo separari atque removeri, quatenus substantia quidem generis et communitatis significativa est, hypostasis autem unius cuiusdam speciei talis, quae generi subiacet. Idque, in antea consideratis, allegavimus sanctum Basilium [1] quidem sic scribentem: BASILIUS: « Substantia vero et hypostasis hanc *inter se* differentiam habent, quam habet id, quod commune est, ad id, quod individuum est, verbi gratia, qualem habet animal ad illum hominem [2] », sapientem autem Cyrillum [3] quasi per interrogationem et responsionem sic dicentem: CYRILLUS: « B. Aliud igitur est substantia et aliud hypostasis? — A. Etiam, aliud est, siquidem substantia omnium hypostasium comprehensiva est »; RURSUSQUE: « Substantia ergo de omni homine, utpote communem generis rationem parturiens, hypostasis autem de uno convenientius intelligetur [4]. »

Ubi ergo Patres, — quos, ut dicis, sequeris, dum a sententia eorum longissime aberras, — dicunt Christum Patri quidem consubstantialem secundum divinitatem, nobis autem hominibus consubstantialem eundem secundum humanitatem, quia ex utroque immutabiliter et indivise unus est, ex Verbi divinitate et ex una humana carne, ex Maria *orta,* rationaliter animata et mente praedita, cognationem confitentur substantiarum et generum, ad quae cognationem habet Emmanuel, * qui ex rebus secundum substantiam diversis [.........] inconfuse componitur, sicut etiam sapientissimus Cyrillus, ad Acacium, episcopum melitinensem scribens, sic dicebat: « Coitionem autem dispensatoriam et ineffabilem vere factam esse dicimus dissimilium inter se rerum in indissecabilem unionem [5].» Igitur, sicut ille homo, verbi gratia Petrus, — iterum enim cum iisdem verbis accedo, — ex *rebus* secundum substantiam diversis componitur, *scilicet* ex una anima et uno corpore, et anima quidem ad rationales et humanas animas cognationem habet et est eiusdem substantiae et generis illisque consubstantialis, corpus autem homogeneum et consubstantiale mortalibus et humanis corporibus est, qua eiusdem substantiae et generis exsistens, non autem ideo Petrus ex substantiis et generibus

* p. 254.

[1] Cfr supra, p. 52. — [2] *P. Gr.*, XXXII, 884. — [3] Cfr supra, p. 137. — [4] *P. Gr.*, LXXV, 700. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 192.

componitur, qui ex una anima unoque corpore subsistit, estque una natura et hypostasis composita, consubstantialis quidem rationalibus animabus secundum rationalitatem, intellectus et scientiae capax, consubstantialis *autem* corporibus homogeneis et humanis secundum mortalitatem, unus idemque est Petrus rationalis et mortalis: — ita et Emmanuel, cum ex una Dei Verbi hypostasi et una carne rationaliter animata et ex utroque unus sit et una natura Verbi incarnata, non ex genericis substantiis compositus inerudite et impie censebitur propterea quod cognationem habeat ad Patrem quidem et Spiritum sanctum secundum divinitatis substantiam, ad nos autem idem cognationem *habeat* secundum humanitatis substantiam. Neque enim aliquis hypostasim suam habet per eos, qui cum ipso cognati sunt, sed diversus exsistens * et separatus secundum hypostasim, coniungitur cum homogeneis hypostasibus secundum generis rationem et consubstantialitatem. Etenim unusquisque nostrum etiam, ex duobus, scilicet ex suo corpore et sua anima, subsistens, non ex homogeneis hominibus subsistere censetur atque ex tota simul rationalium animarum substantia totaque humanorum corporum substantia, neque in duabus substantiis et *duobus* generibus hypostasim habere creditur, iuxta tuam impiam et improbabilem et impossibilem garrulitatem.

* p. 255.

Istud autem nomen « substantia » secundum communem significationem *usurpatum,* itemque « consubstantialis » *nomen,* cognationis esse indicativa sapiens Iohannes, episcopus constantinopolitanus, in oratione septuagesima quarta enarrationis explanatoriae evangelii Iohannis, manifeste docet, haec scribendo: IOHANNES: « Credite quia ego in Patre et Pater in me. Oportebat quidem vos, audientes Patrem et Filium, nihil aliud quaerere ad ostensionem cognationis secundum substantiam. Si vero hoc non satis est vobis, ad ostendendam honoris aequalitatem et consubstantialitatem, etiam ex operibus discite [1]. » Et in oratione septuagesima quinta rursus similiter scribit sic: IOHANNES: « Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, id est, alium qualis ego sum. Erubescant etiam ii,

[1] *P. Gr.*, LIX, 402.

qui Sabellii morbo laborant et ii, qui de Spiritu non congruam sententiam habent. Nam et ipsum vocis miraculum tale est, quod haereses ex diametro oppositas uno ictu deiciat. Etenim dicendo quidem « alium », hypostasium differentiam, dicendo autem « Paracletum » substantiae cognationem ostendit[1]. » Egregius autem divinorum dogmatum interpres Cyrillus idem ostendit, in defensione undecimi anathematismi, defensionem adversus * reprehensiones Andreae his struens: CYRILLUS: « Quemadmodum autem uniuscuiusque nostrum proprium dicitur corpus, quod proprie eius est, ita etiam de uno Christo est intelligendum. Nam quamvis sit nostris corporibus homogeneum seu consubstantiale *corpus Christi,* — natum enim ex muliere est, — proprium eius, ut dixi, intelligitur et dicitur[2]. »

* p. 256.

Cum ergo Iesus Christus, Deus Verbum propter nos incarnatum et immutabiliter atque perfecte homo factum, consubstantialis sit Patri quidem et Spiritui secundum substantiam et communem significationem et genericam divinitatis proprietatem, idem autem et nobis consubstantialis factus sit et sit, rursusque nunc etiam sit[3] et semper maneat, secundum substantiam et commune humanitatis genus: quomodo tam inconvenienter et inerudite ex nominibus cognationem indicantibus absurdum colligis, dicens: « Si Christus consubstantialis Patri et consubstantialis nobis est, igitur in duabus substantiis est[4]? » Etenim, ex una Dei Verbi hypostasi et ex una carne rationaliter animata, est Christus ex utroque unus et solus, o sapiens, non autem ex substantiis cognationem inter se habentibus, ex quibus compactus est. Nam stultae etiam sententiae est dicere in genericis substantiis subsistere Christum, qui in una hypostasi est atque subsistit, nempe in *hypostasi* Verbi, carni ex Maria *ortae,* anima menteque praeditae, incarnata. Neque dividitur in genericas substantias, ad quas ipse cognationem habet et referuntur ea, ex quibus compingitur. Aliud est enim et valde diversum et minime idem confiteri ex quibusnam Christus sit, * et aliud scire quibusnam homogenea et consubstantialia sint ea, ex quibus est Christus.

* p. 257.

[1] *P. Gr.,* LIX, 403. — [2] *P. Gr.,* LXXVI, 372. — [3] Quatuor priora verba in margine addita sunt. — [4] Locum non repperi.

Ex una enim ipsius Dei Verbi hypostasi et ex carne rationaliter animata est atque compingitur illa secundum naturalem unionem coniunctione; ex istis autem illa quidem ad genericam divinitatis substantiam refertur et est Patri et Spiritui consubstantialis, haec autem ad genericam humanitatis substantiam refertur et est nobis, omnibus hominibus, homogenea et consubstantialis: sicque ille ex duobus unus atque solus Christus, qua quidem Verbum est, Patri et Spiritui consubstantialis est, qua autem perfecte et immutabiliter homo factus, quin ab eo, quod erat, discesserit, idem nobis quoque consubstantialis est.

Quomodo ergo haereticae amentiae insidiis, — non enim dico: versutia, — *usus,* non confiteris ea, ex quibus est Christus, sed in medium profers ea, quibus homogeneus est, et blasphemo atque indocto *sermone,* dum ad sanctos Patres tuam ineruditionem itemque impietatem refers, dicis: GRAMMATICUS: « Adhaerentes sanctorum Patrum verbis, quia didicimus ab eis Christum Patri et Deo consubstantialem et nobis consubstantialem dicere, illum in duabus naturis, id est, substantiis, dicimus[1] », sicque, postquam rerum ordinem distraxisti et mutasti, atque aliud pro alio collegisti, absurdissimum addis et ad arbitrium tuum atque tyrannice rebus simul atque nominibus iniuriam infers? Quis enim non mirabitur sapientiam tuam, cum dicis: « Quia nemo dixit Filium cohypostaticum Patri rursusque nobis cohypostaticum secundum effigiem[2], duas signatas hypostases * dicere vitamus[3] »? Verum, promptum est ad hoc dicere: Absurde etiam primum istud collegisti, qui ex eo, quod appellatio « consubstantialis » cognationis indicativa est, statuisti Christum *esse* in duabus substantiis secundum communem significationem et genericam proprietatem *intellectis;* alterum quoque valde stultum et nimis absurdum per vim inducis, ut nempe nomen « hypostasis » praeter propriam significationem et regulam suam proferatur atque dicatur. Namque certum est *vocem* « hypostasis » neque communitatis neque cognationis significativam esse,

* p. 258.

[1] Locum non repperi. — [2] κατὰ τὸν τοῦ προσώπου χαρακτῆρα. — [3] Cfr supra, p. 197.

sed unius cuiusdam personae aut rei, quae generi subest et subiacet, verbi gratia, sicut Iohannes, ut dici potest, in substantiam et genus humanitatis cadit, aut una anima cuiuslibet unius[1], in rationalium et humanarum animarum genus cadit, aut unum corpus in humanorum corporum genus atque substantiam cadit. Si ergo hypostasis generis quidem et communis significationis locum teneret, posset quis Petrum Paulo cohypostaticum dicere. At, quia unius personae et talis speciei[2] comprehensiva *vox* est, quomodo posset quis, iuxta stultitiam tuam, dicere Petrum esse ὁμοπρόσωπον Paulo, aut Deum Patrem Deo et Verbo et Filio et Unigenito? Non enim consequens est nomine substantiae genericae aeque et similiter etiam singularem hypostasim nominari. Quemadmodum enim ea, quae his *nominibus* designantur, *inter se* differunt et distant, ita et nomina illorum designativa necesse est inter se distare et non similiter affigi. Cum ergo substantia locum generis teneat, et omnes hypostases sibi subiacentes in se comprehendat, verbi gratia, cum humanitatis substantia comprehendat Petrum * et Paulum et Iohannem, omnes etiam homines, qui sub ipso genere sunt consequenter consubstantiales et homogenei vocabuntur; cum autem hypostasis unam personam, talemque speciem includat, nullamque aliam comprehendat, ad quamnam cohypostaticam erit? Reliquum esset ut aliquis sibi ipsi esset cohypostaticus: quod extremae stultitiae est. Nec quisquam, nisi de mente exierit, dicet Petrum, quia Paulo consubstantialis et homogeneus dicitur, dicendum esse etiam *ei* cohypostaticum et ὁμοπρόσωπον. Audiret enim a nobis, et quidem optimo iure: Quemadmodum non idem est substantiae atque hypostaseos suppositum, — illa enim id, quod commune est, et genus hominum, haec autem illum particularem et determinatum *hominem* significat, — sic consequens est ut, iuxta suppositorum diversitatem, etiam nomina diversa sint, minime vero pariter et similiter eodem vocabulo *omnia*[3] dicantur.

* p. 259.

[1] τοῦ τυχόντος. — [2] εἶδος, , de externo habitu personae vel rei hic adhibetur. — [3] Forsan graece legebatur: ὁμῶς καὶ ὁμοίως ὁμοφώνως.

Cum autem haec[1] ita inconfuse se habeant et inter se distent, neque istud aliud aliquis perverse constituat, — quod iam antea diximus, — *scilicet* quod, quia Petri anima rationalibus animabus consubstantialis est et homogenea, non autem cohypostatica, itemque Petri corpus humanis corporibus consubstantiale est et homogeneum, non autem cohypostaticum, *ideo* in duabus substantiis dicendum est Petrum esse, non autem in duabus hypostasibus. Diceretur ad illum re vera[2] utrumque falsum esse. Etenim, cum Petrus ex una anima et uno corpore una natura unaque hypostasis composita sit, non miscetur neque confunditur cum humanis corporibus et cum rationalibus animabus, ita ut etiam ipsis cohypostaticus dicatur; rursusque, quia ipsis homogeneus et consubstantialis est secundum animam et corpus, non *ideo* in duas * substantias *duoque* genera dividitur: sic enim is, qui non ex genericis substantiis componitur, sed, ut dictum est, ex una anima unoque corpore, quae ad diversas substantias cognationem habent, neque ob eam causam cum ipsis substantiis vel generibus dividitur. Igitur, ad quem necessitatis vel persuasionis assensum tam improbabilis et ineruditus syllogismus tuus collocutorem tuum attrahet: « Quia nempe non dicitur Patri cohypostaticus Filius, neque nobis cohypostaticus, illum in duabus hypostasibus non dico »? Quodnam enim fundamentum habet istud effatum, aut quamnam tandem stabilitatem?

* p. 260.

Quis ex haeresiarchis, ut tu dixisti, hoc verbum dixit, quod ne quidem secundum superficialem sententiam servat consequentiam, — ut impietatem nunc seponam et silentio praeteream. Nam Sabellius trinominem hypostasim dicebat Trinitatem, quae modo quidem tanquam Patris persona dominatur et loquitur et operatur, modo autem tanquam Filius, modo autem tanquam Spiritus sanctus. Hanc autem unam eandemque hypostasim nunquam cohypostaticam dixit: nemo enim sibi cohypostaticus dicitur. Nam sicut consubstantialis dicitur alii, qui cum ipso eandem substantiam et cognationem participat, ita diceretur etiam cohypostaticus tanquam ad alium, si hypostasis non unius esset, sed multarum subsistentium

[1] Scilicet οὐσία et ὑπόστασις. — [2] τὸ ἀληθές adverbialiter usurpatum.

personarum comprehensiva esset. At, quia Sabellius ponebat unam hypostasim sub personis repraesentatam[1] et tripliciter diversam, non visus est cohypostaticum dicere. Et audi sapientem Basilium haec in epistula ad Terentium sic docentem: [* p. 261.] Basilius: « Quae calumnia gravior quam * ista esse possit et ad multos commovendos validior, quam si qui ex nobis videantur Patris et Filii et Spiritus sancti unam hypostasim dicere; qui, etiamsi omnino personarum differentiam manifeste doceant, — quia tamen hoc prius a Sabellio assumptum est, id ipsum dicente, *scilicet* Deum secundum hypostasim quidem unum esse, sub personis autem a Scripturis diverse repraesentari secundum proprietatem usus subinde occurrentis, ac paternas quidem modo sibi accommodare voces, cum huius personae adest occasio, modo autem eas, quae Filium decent, cum ad nostri curam aut ad alias quasdam dispensatorias operationes descendit, modo autem Spiritus induere personam, cum tempus voces tanquam a tali persona *prolatas* exposcit, — si qui etiam apud nos videantur unum secundum subiectum dicere Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tres vero personas perfectas confiteri, quomodo non apertam et indubitatam demonstrationem affere censebuntur veritatis eorum, quae de nobis dicuntur[2]? » In illa autem ad canonicam epistula, cuius mentionem fecimus in antea consideratis[3], cum de voce « consubstantialis » diceret, sic scripsit: Basilius: « Haec autem vox Sabellii quoque pravitatem corrigit: tollit enim hypostaseos identitatem et perfectam personarum notionem inducit. Neque enim quidquam sibi ipsi consubstantiale est, sed alterum alteri[4]. »

Ex his igitur disce circa unam eandemque hypostasim a nullo dici quidquam sibi ipsi cohypostaticum esse, quia neque [* p. 262.] sibi ipsi quidquam, sed alterum alteri, * consubstantiale dicitur. Cum enim sancta Trinitas sit definita et inconfuse se habeat secundum personarum diversitatem, et Pater sit Pater, minimeque Filius vel Spiritus, et Filius sit Filius, minimeque in Patrem vel Spiritum sanctum mutetur, et Spiritus sanctus sit

[1] προσωποποιουμένη. — [2] *P. Gr.*, XXXII, 788. — [3] Cfr supra, p. 123. — [4] *P. Gr.*, XXXII, 393.

Spiritus sanctus, minimeque ad id declinet, ut sit Pater vel Filius, recte propter id, quod commune est, et *propter* identitatem substantiae divinitatis, unaquaeque ex hypostasibus ceteris consubstantialis dicitur. Si vero, ut impius Sabellius dicit, una eademque sit hypostasis, sub tribus nominibus figurata et mendaciter simulans differentiam personarum absque hypostasibus et ficte dictarum, quomodo dici potest haec una hypostasis sibi ipsi cohypostatica? In epistula vero ad Amphilochium de Sabellii errore invenimus sanctum Basilium haec scribentem: Basilius: « Qui autem dicunt idem esse substantiam et hypostasim, coguntur personas tantum confiteri differentes, et dum refugiunt dicere tres hypostases, inveniuntur Sabellii malitiam non effugere; qui et ipse multis in locis, dum notionem confundit, conatur personas separare, dum dicit eandem hypostasim pro usu semper occurente figurari[1]. » Et ad monachos sibi subditos[2], in Eurobine *et Chalane degentes*, scribens, sic dicit: Basilius: « Nos enim pariter et eos qui Sabellii morbo laborant, et eos qui Arii dogmata docent, tanquam impios fugimus et anathematizamus. Si quis eundem dicit Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam rem multinominem statuens unamque hypostasim tribus appellationibus nominatam: * talem nos in parte Iudaeorum ponimus. Si- [* p. 263.] militer etiam si quis Filium dicit secundum substantiam dissimilem Patri, aut ad creaturam Spiritum sanctum detrahit, hunc anathematizamus et ad gentilitatis errorem appropinquare ducimus[3]. » Et Gregorius theologus, in oratione apologetica, haec scripsit: Gregorius: « ne, dum in unam hypostasim sermo coniungitur propter polytheismi timorem, vacua relinquant nomina nobis eundem Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse sentientibus[4]...... neque in Sabellii ἀθεΐαν ex hac nova resolutione aut compositione deveniamus[5]. »

Undenam igitur, o Grammatice, ista, quae secundum naturam sunt abominanda[6], et ne ab haereticis quidem conficta

[1] *P. Gr.*, XXXII, 884. — [2] τοὺς ὑπὸ χεῖρα αὐτοῦ. — [3] *P. Gr.*, XXXII, 849. — [4] Quaedam Gregorii verba a Severo vel ab amanuensi hic omissa sunt. — [5] *P. Gr.*, XXXV, 444 et 445. — [6] ἀπόῤῥητα.

fuerunt, utpote stultissima, et quae extra communes appellationes reperiuntur? Tu vero nove decernis et ad arbitrium tuum nomina constituis et, iuxta apostolicam reprehensionem, aliter doces et non acquiescis sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et doctrinis iustitiae, et superbus es, et nihil sciens [1] in medium procedis et velut divinis dogmatibus eruditus scribis: GRAMMATICUS: « Nam illa *sententia,* quae dicit Filium Patri cohypostaticum, ad effigiem Sabellii est [2] ». Igitur ostende nobis ubinam unquam Sabellius cohypostaticam dixerit illam unam hypostasim. Qui enim unam Patris et Filii et Spiritus sancti hypostasim dicit, quomodo eam sibi ipsi cohypostaticam esse diceret? Ridicula sunt haec re vera et amentia plena. Et forsan, quia narrationes profanae, quas te traditurum iis, qui discipuli tui sunt, profiteris, narrant huiusmodi * *entia* plasmata esse, et quia cum quibusdam cervis etiam ἱππαλεκτρυών nominatur [3], putasti tibi quoque licere illos cohypostaticos fingere et in sancta Ecclesia velut ante scenam comicam [4] exsurgere et divina saltare iubere.

Et quis sensum habens, non dico spiritualem et excelsum et altum, sed probum et naturalem prudentiam, dum haec audit, non plorabit, nedum rideat, videndo te, qui in nominibus et sententiis istis alienus es, sacris dogmatibus audacter illudere? Verumtamen iterum nunc dolebit Hieremias cum Ecclesia et mystice, velut ex eius persona lugebit, dicens: « Vidit enim gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas ne intrarent in ecclesiam tuam [5] », rursusque: « Ideo contenebrati sunt oculi nostri super montem Sion, quia dissipatus est; vulpes transierunt in eo [6]. » Istis enim praesumptionibus [7] alienis et profanis et insolitis et impossibilibus et a nullo enuntiatis et contra rerum naturas contendentibus atque pugnantibus et ex eo confutatis, tanquam perspectis praesumptionibus innixus, dicensque: « In duabus hypostasibus quidem non dico Christum, sed in duabus naturis, id est, substantiis, quia nemo

1 Cfr I *Tim.*, VI, 3-4. — 2 Locum non repperi; cfr notata de hoc effato supra, p. 197. — 3 Cfr ARISTOPHAN., *Ran.*, 937. — 4 κωμικὴ σκηνή. — 5 *Thren.*, I, 10. — 6 *Ibid.*, V, 17-18. — 7 In textu graeco forsan adhibebatur vox πρόληψις.

Christum dixit Patri cohypostaticum nobisque cohypostaticum », istam quidem *locutionem* « Patri cohypostaticus *est Filius* », vesaniae Sabellii mendaciter adscripsisti, nesciens quae dicis, ut oratio ostendit, illam autem *locutionem* « nobis cohypostaticus *est Christus* » dixisti a nullo unquam dictam esse. Cur ergo ex iis, quae a nullo dicta sunt, tanquam ex veris, constituis principia praesumptionum, et super arenam * abominandum fundamentum ponens, quasi super firmitatem impietatis *placita* infirme aedificas?

Nos enim te condemnamus *tanquam* dividentem unum Christum, non propter ista impossibilia cohypostatica, — quae, undenam habeas, nescimus, — sed quia duas naturas individuas et unitas post unionem dicis, et nunc quoque iterum obicis in sanctum Cyrillum ea, quae obiectionis instar in secunda epistula ad Succensum apposita sunt, et cum iis, qui tunc obiciebant, clamas: « Quomodo duas naturas non concedemus indivise subsistere post unionem [1]? », et non audis eum dicentem: CYRILLUS: « Adversatur iterum et nihilominus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam; idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere [2]. » Et fugiens a reprehensione, teipsum in substantiis abscondis, sicut ferae voraces quae in densis arundinibus vel silvis opacis se abscondunt: de quibus David propheta ad Deum omnium canit: « Increpa feras arundinis [3] », « feras arundinis » utique vocans eas, quae haereticis calamis clam et secreto et serpentino more scribunt: quas *feras* venari et cicurare et, post correptionem, ad mansuetudinem convertere solummodo doctorum pietatis est, qui cum apostolis per Hieremiae vocem audiunt: « Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos; et post haec mittam venatores multos, et venabuntur eos super omnem montem et super omnem collem et de cavernis petrarum [4] ». Namque dicis: GRAMMATICUS: « Adhaerentes sanctorum Patrum verbis, * quia didicimus ab eis Christum Patri et Deo consubstantialem et nobis consubstantialem dicere, *illum* in duabus naturis, id est, sub-

1 *P. Gr.*, LXXVII, 244. — 2 *Ibid.*, 245. — 3 *Psalm.* LXVII, 31. — 4 IEREM., XVI, 16.

stantiis dicimus[1]. » Et manifeste ostendis ex his nominibus, quae homogeneitatem indicant, in duabus substantiis locum generum tenentibus atque multarum hypostasium comprehensivis illum unum Christum a te constitui, ita ut absurdum istud atque impium colligas, ut nempe dicas sanctam Trinitatem toti simul humanitati incarnatam esse. Et isti *sententiae* adeo impietate absurdae et irrationali[2], hanc alteram impudentiam, insania etiam *illi* comparem, volens illam corroborare, addis: « Duas hypostases non dico Christum *esse,* quia non possum illum dicere Patri cohypostaticum, ut dixit Sabellius, nobisque cohypostaticum: quod nemo dixit. Quia vero *locutio* « consubstantialis Deo et Patri » et « consubstantialis nobis » dicitur, ideo in duabus substantiis illum *esse* dico[3]. »

Quid ergo posset aliquis ad haec dicere, quae simul cum impietate etiam praeter omnem prudentiam, quae malitiam attendit, incedunt et ne sententiae quidem consequentiam servant? Meum quidem non est, immo nullius ex hominibus *est,* dicere quid conveniat ad istam amentiam. Procedat autem in medium ipse Christus, qui per typici Salomonis sapientiam congregat, verus et spiritualis Salomon et congregator[4] pacificus, — id enim *vox* Salomon in lingua hebraica significat, — et tanquam Deus fortiter loquatur et « labia stulti immergent eum; initium verborum oris eius stultitia * et novissimum oris eius error malus[5] ». Quomodo enim non esset error, qui nullibi consistere potest, vertitur autem alias aliter variis mutationibus in mendacio? Qui enim sic dicit: GRAMMATICUS: « Quia didicimus Patri et Deo consubstantialem nobisque consubstantialem dicere Christum, in duabus naturis, id est, substantiis *eum esse* dicimus[6] », et non addidit « eundem » Patri consubstantialem et « eundem » nobis consubstantialem, — id enim rursus observare convenit, — et per nomina cognationis indicativa, ut ostendimus, definit *Christum esse* in sub-

* p. 267.

1 Locum non repperi. — 2 παρὰ λόγον. — 3 Locum non repperi; ceterum non videntur esse ipsa Grammatici verba. — 4 Cfr *Prov.*, XXX, 1 (iuxta Vulg.). — 5 *Eccle.*, X, 12-13. Tres voces, quas in hoc textu corrigendas indicavimus, male legerit scriptor apographi, ut quandoque accidit quoad initia linearum codicis forsan erasa vel evanida. — 6 Locum non repperi.

stantiis secundum communem significationem *intellectis* atque generum locum tenentibus, — non enim dixit unum Christum subsistere, — infra dicit: « Si igitur nullius alterius fuit propria caro Dei Verbi, neque ante conceptionem exsistebat, quomodo in duabus hypostasibus singularibus illum dicam et alteram hypostasim vocabo eam, quae non substitit, neque tandem seorsum, sed tantum in Deo Verbo, exstitit[1]? »

Ad hoc enim placet illum interrogare: Quid igitur? Quia in duabus substantiis Christum esse dicis, prius subsistere carnis substantiam dicis, ante conceptionem et unionem cum Verbo. Et quid vocas substantiam carnis? Numquid genus humanum? Atqui, non genus Deus Verbum sibi hypostatice uniit, sed unum corpus anima menteque praeditum, quod hominum substantiae, id est, toti generi, homogeneum est atque consubstantiale. Si autem illud ipsum unum corpus, quod propriam carnem vocasti, — evidenter autem, corpus rationali anima animatum, — vocas « substantiam », pro hypostasi et propria appellatione utens communi « substantiae » nomine, *tunc* sicut non dicis * duas hypostases, quia ante assumptionem et unionem caro non substitit, ita neque duas substantias dicas, quia ante unionem cum Deo Verbo caro neque ad substantiam neque ad exsistentiam venit, id est, ad esse non transiit.

* p. 268.

Scito ergo quod dicendo duas substantias, duas quoque hypostases dicis, etiamsi latere velis. Eorum autem, qui carnem subsistentem ponunt et infantem plasmant ante unionem cum Deo Verbo, proprium est dicere et duas naturas et duas substantias et duas hypostases post unionem, et consequenter duas personas et duos filios et duos christos. Nam naturis quae secundum dualitatem separantur, vel substantiis vel hypostasibus propria subsistentia[2] subsistentibus singulis propria singillatim imponitur persona, etiamsi mutuata ornentur persona, auctoritatis *scilicet* et nominis atque voluntatis aequalitatis: et ideo utrumque unus Christus et Filius vocatur.

Si quis vero, secundum apostolicas sanctorum Patrum institutiones, hypostaticam unionem confitetur et agnoscit Dei Verbum nobiscum communicasse sanguini et carni rationali

1 Locum non repperi. — 2 ἰδιοσυστάτως.

anima animatae, et ex duabus naturis seu hypostasibus vel substantiis confitetur Emmanuelem, *nempe* ex *natura* Dei Verbi et ex una carne rationaliter animata, quae ex deipara Virgine assumpta est per naturalis unionis coniunctionem: is merito dicit et unam naturam et unam hypostasim Dei Verbi incarnatam, et unam personam et unum Christum atque Filium. Etenim supra ostendimus quomodo sancti et eximii mystagogi Ecclesiae hypostasim Dei Verbi saepe etiam substantiam * vocaverint, rursusque carnem anima menteque praeditam et ex Maria *ortam*, quam vera unione sibi uniit, tum substantiam tum hypostasim appellaverint. Rursusque ostendimus omnes institutiones eximiorum Patrum, qui hypostaticam unionem accipiunt et in contemplatione tantum separant ea, ex quibus *est* Christus, atque eorum differentiam agnoscunt, quia absque confusione et imminutione unita sunt. Cum unionis notiones duas naturas non dicant, — nam ea, quae non subsistunt in propria subsistentia neque in singularitatibus divisis, sed in compositione videntur et unam ex utroque naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam absolvunt, quomodo quis posset *tanquam* duo numerare aut dicere? — per omnia igitur prudens investigatio atque disputatio ostendit quod in iis, quae impie scripsisti, Grammatice, per illusionem tantum hypostaticam unionem profers, illum autem, qui ex ea absolutus est, infitiaris, quatenus ista duo, quae per contemplationis separationem apparent, post unionis cogitationem iam quidem duo non sint, utroque autem unus subsistat, iuxta vocem sapientis Cyrilli [1].

* p. 269.

CAPUT TRICESIMUM QUARTUM

Quod mendax est verbum impii *Grammatici* contendentis se non increpatum aut redargutum esse in Theodoreto, duas naturas confitente unum Christum *esse* post inexplicabilem unionem, a sancto Cyrillo, quia *Cyrillus* silentium tenuit, ut ait, de nominatione dualitatis naturarum.

Quod autem totus in adversarios propendis, et diligis dualitatem, pseudonymae et habitudinalis unionis illorum prolem, *

* p. 270.

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXVII, 245.

et impugnas Cyrillum, doctorem sanae fidei, quam sub ementita persona simulas te nactum esse cuique praeclaris verbis blandiris, auxiliaris autem Theodoreto, *Cyrilli* osori et veritatis hosti, id confessus es, cum haec etiam adulatoria *verba* iis, quae cum blasphemia a te scripta sunt, sic addidisti: GRAMMATICUS: « Quis enim ei suasit? Ad reprehensiones Theodoreti defensionem struebat, et velut in quadam palaestra ansas ad capiendum [1] *adversarium* quaerebat. Ubi ille quidem suspicionem dabat insimulationi *erroris* duarum personarum, *Cyrillus* vituperabat et benigne dissuadebat; ubi autem *Theodoretus* duas naturas nominabat, *Cyrillus* tacebat et consentiebat nec habebat quid diceret. Neque enim dicendum est *Cyrillum* virum minime loquacem [2] fuisse aut etiam noluisse vicissim eum percutere, qui in ipsum tela emiserat: utrumque contra parabat, fidei studio flagrans; unum autem tantummodo oderat, *scilicet* vestri more vane calumniari atque ea, quae aedificaverat, evertere [3]. »

Bene et plus quam bene agonem constituisti et tanquam agonistas in pugnam aptos [4] nobis in palaestram produxisti eximium Cyrillum, pietate potentem et a Spiritu sancto unctum atque ab infantia sua exercitatum, et Theodoretum illum in pugna pro pietate inexercitatum et impietate laborantem atque deiectum, et etiam pugnae te interponis inter illos, tu, iniquus et impius arbiter, dicisque: « Ubi Theodoretus duas naturas nominabat, sanctus Cyrillus tacebat et consentiebat ». Si igitur, iuxta decretum tuum, cum iniquus Theodoretus illum unum Christum duas naturas *esse* diceret, * invenisset sapientem Cyrillum tacentem atque consentientem, laudabiliter dixisset duas naturas; sin autem, *Cyrillus* illi contradixisset. Ei autem, qui laudabiliter dicebat duas naturas, — adversus quas nihil dicendum habuisset ipse Cyrillus, qui *tamen* tam copiosus ad illi contradicendum erat, — omnino et absque ulla controversia pro laudabili parte adhaeres: nam ab iis, quae laudat, quomodo quis refugiet? Itaque audiamus illa laudabilia verba, quae iam supra apposuimus [5], *et* quae in reprehensione tertii capituli seu anathematismi reperiuntur:

* p. 271.

[1] λαβή. — [2] ὀλιγόλογος. — [3] Locum non repperi. — [4] ἀξιόμαχος. —
[5] Cfr supra, p. 181.

THEODORETUS: « Unam quidem personam et unum Filium et Christum item confiteri pium est; duas autem hypostases seu naturas unitas dicere, non absurdum est, sed iuxta causam consentaneum [1]. » Et qui dixerat pium esse unum Filium et Christum unamque personam in duabus naturis et hypostasibus confiteri, statim ipsas naturas convertit in duas personas, *scilicet* in Deum saeculis antiquiorem et hominem in fine dierum assumptum, sic scribendo: THEODORETUS: « Quomodo impietatem adscribit iis, qui dividunt proprietates naturarum et Dei, qui *est* ante saecula, et hominis in fine dierum assumpti, iste qui mixtionem nos per alia nomina docet [2]? »

Quod autem duas naturas, Deum ante saecula exsistentem et hominem in fine dierum assumptum, agnoscit divisio unius Christi et Filii et Domini in duos Filios, id scripsit sapiens Cyrillus, — qui a Theodoreto commixtionis insimulabatur et a te, o Grammatice, tacuisse censebatur, — in defensione ipsius anathematismi hoc modo: CYRILLUS: « Igitur * simili ratione diligenter inquirentes unionem, quae circa Christum facta esse intelligatur, secundum contemplationem quidem dicimus factam esse veram, secundum unionem, divinitatis et humanitatis coniunctionem, non ignorantes aliud quidem esse, praeter carnem, secundum naturam Dei Verbum, aliam autem rursus, praeter Illud, secundum propriam naturam, carnem. Semel autem unita separare, non est tutum; neque rursus in duos filios dividere unum Christum et Filium et Dominum quibusdam permittit rectitudinis ratio, sancta et divinitus inspirata Scriptura ad hoc nos instituente. Sed exiguam prorsus dogmatum veritatis rationem habet, et eorum, quae ad utilitatem necessaria sunt, sicuti eorum, quae ad nocendum nata sunt, quidquam scire haud mediocriter dedignatur; gloriatur autem, ut videtur, mendacio, et calumniae scientiam peritissime disponens, audiat a nobis: « Quid gloriaris in malitia, potens? iniquitatem tota die, iniustiam cogitavit lingua tua [3]. »

Numquid igitur is tibi tacuisse videtur, qui haec scripsit

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [2] *Ibid.* — [3] *Psalm.* LI, 3-4; *P. Gr.*, LXXVI, 408.

adversus eum, qui dixerat: THEODORETUS: « Duas autem hypostases seu naturas dicere, non absurdum est, sed iuxta causam consentaneum [1] », et illas *naturas* in personas converterat, dicendo: « Quomodo impietatem adscribit iis, qui dividunt proprietates naturarum, Dei qui *est* ante saecula et hominis in fine dierum assumpti [2]? » Numquid quia manifeste ostendit quod ille, qui tantae impietatis erat, per duplicitatem naturarum unum * Christum in duos filios dividebat, de naturis nihil dixisse tibi videtur? Idem Theodoretus, in reprehensione anathematismi, videtur neque duos filios neque duas personas ipsis verbis dicere, sed contra manifeste dicit: « Unam quidem personam et *unum* Filium et Christum item confiteri pium est [3] ». Igitur, dabimusne eum falso crimine petitum esse a sancto Cyrillo, qui eum dissectionis in duos filios insimulabat? Et audi de hoc: CYRILLUS: « Sed exiguam prorsus dogmatum veritatis rationem habet [4] ». Atqui, non fuit falso crimine impetitus, propterea quod in tota reprehensione, id est, in oratione opposita, istas duas naturas in Deum, qui assumpsit, et in hominem, qui assumptus est, cum blasphemia convertit. Et modo quidem adversus sanctum Cyrillum, praeter ea quae iam apposita sunt, dicit: THEODORETUS: « Quomodo igitur dicit non oportere hypostases seu naturas dividere [5]? », modo autem iterum dicit pium esse « multo magis agnoscere proprietates naturarum, Dei, qui assumpsit, et hominis, qui assumptus est [6] ». Verum, in defensione adversus reprehensionem decimi anathematismi, ipsum Cyrillum, — qui, ut dicis, Grammatice, circa naturarum nominationem tacuit et consentiebat nec habebat quid diceret, — invenimus exsurgentem atque sic dicentem Theodoretum esse imaginem accurate delineatam et figuram noxiae Nestorii, cum « naturam humanam » decenti voce [7] specialem personam et alterum Christum dicat: CYRILLUS: « Illius autem *Nestorii* exsecrabilitatis egregius imitator, dico optimum Theodoretum, non erubescit dicens quod humanam naturam *Verbum* assumpsit et hanc ultra communes statuit pontifices, sicut Paulus dicit:

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.*, 409. — [5] *Ibid.*, 404. — [6] *Ibid.* — [7] εὐφημισμός.

*p. 274. « Omnis enim pontifex, ex hominibus * assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum; condolens iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate; et propterea debet quemadmodum pro populi, ita etiam pro suis offere peccatis [1]. » Numquid non hominem communem [2], secundum quod ipsi videtur, nobis *Theodoretus* constituit Emmanuelem ? Nonne sententiae similes sunt *sententiis* modo a nobis nominatis et aequalem parturiunt blasphemiam ? Metuis, dic mihi, modum pontificii Salvatoris omnium nostrum Christi ? Et incongruum dicis Deo Verbo esse sacerdotio fungi humanitus propter dispensationem ? Ergo depone personam mutuatam, nega sine timore inhumanationem Verbi [3]. »

Hoc silentio sanctus Cyrillus honoravit Theodoretum duas naturas nominantem! Haec est persuasio sine controversia et consensio sine contentione! Haec est inopia confutationum, quae non habet quid dicat [4]! Verumtamen, demus, sicut tu *dicis*, haec ita se habere; et tacuerit circa duas naturas, cum nominarentur, is qui clamavit et reprehendit et scriptis alta voce clamare non destitit. Demus etiam Theodoretum optime locutum esse de duabus naturis in reprehensionibus circa capitula dicendo: « Quomodo igitur dicit non oportere hypostases seu naturas dividere [5] ? »; RURSUSQUE: « Duas autem hypostases seu naturas unitas dicere, non absurdum est, sed iuxta causam consentaneum [6] »; ET ITERUM: « Quomodo impietatem adscribit iis, qui dividunt proprietates naturarum, Dei ante saecula *existentis* et hominis in fine dierum assumpti, iste qui mixtionem nos per alia nomina docet [7] ? » Etsi cum fiducia, in eum [qui optime] *p. 275. dixit; in eum qui non [......] a sancto Cyrillo; in eum qui * [............] quod in [omnibus reprehensionibus capitulorum dixit] manifeste in duabus naturis et hypostasibus Christum esse, cur refers impietatem, dicendo: GRAMMATICUS: « In duabus naturis, seu substantiis, *Christum esse* dicimus [8] »; RURSUSQUE: « In duabus substantiis Christum *esse* dicimus; sed in

[1] *Hebr.*, V, 1-3. — [2] In margine: « merum ». — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 444. — [4] Tres sententiae priores forsan interrogativo modo legendae sunt. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [6] *Ibid.* — [7] *Ibid.* — [8] Locum non repperi.

duabus hypostasibus signatis *cum dicere* vitamus [1] »? Quomodo fuga digna indicas certamina huius *viri* victoria celebris et corona redimiti, et simulans te syllogismis uti adversus illa scribis sic: « Si ergo alterius non fuit caro propria Dei Verbi, et ante assumptionem non erat, quomodo in duabus hypostasibus propriis dicam, et aliam hypostasim vocabo eam *carnem*, quae seorsum neque substitit neque ullo modo exsistentiam habuit, sed in Deo Verbo *semper substitit* [2] ? »

Igitur te fugit adversus eum, qui bene confessus est Christum in duabus naturis esse, te haec dicere? Adversus eum, qui vicit, lites moves, ipse ex praelio fugiens; adversus eum, qui praelium de duabus naturis profligavit, immo coronatus est; adversus sapientem Cyrillum, et quidem indisputabili sententia, *scilicet* ipsius *Cyrilli* silentio. Nam vide, quaeso, quomodo egregius Theodoretus prius constituat carnem, ante unionem cum Verbo, et plasmet infantem, [putans] inde deduci duas naturas et hypostases [subsistere], duasque personas, Dei *nempe* et hominis, singillatim et proprie. Etenim in reprehensione primi capituli seu anathematismi, reprehendendo, ut solebat, mutabilitatem [3] et hoc causae sumendo quod vitabat existimare Deum Verbum ex Maria incoepisse esse, id quod est, Deum, scripsit sic: THEODORETUS: * « Patet igitur ex dictis quod Dei *p. 276. forma mutata non est in servi formam; sed manens quod erat, assumpsit formam servi. Si ergo non est caro factum Dei Verbum, sed vivam et ratione praeditam carnem assumpsit, non ipse secundum naturam e Virgine conceptus et natus et formatus et figuratus, et principium exsistendi exinde assumens, qui ante saecula est, et Deus est, et apud Deum est, et cum Deo est, et cum Patre adoratur atque cognoscitur; sed, cum templum sibi in utero virginali plasmasset, fuit cum plasmato et concepto et figurato et nato. Quamobrem et sanctam Virginem deiparam appellamus: non quasi Deum secundum naturam generaverit, sed hominem Deo, qui ipsum plasmavit, unitum [4]. » ET POST PAUCA: « Non hominis genitricem tantum, sed et Dei genitricem Virginem appellamus, illam quidem ap-

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Id est, mutabilitatem qua putabat Verbum affici iuxta Cyrilli doctrinam de incarnatione. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 393.

pellationem plasmationi et formationi imponentes, hanc autem unioni [1]. »

Ecce stupenda duarum naturarum semina: templum *scilicet* in utero virginali plasmari et formari et nasci, alienum autem esse Dei Verbum a conceptione secundum carnem et a plasmatione et a formatione et a nativitate. Nam « hominis genitricem, ait, et Dei genitricem Virginem appellamus, illam quidem appellationem plasmationi et formationi imponentes, hanc autem unioni [2] ». Dividitur enim plasmatio et formatio templi, sequitur autem unio, quae inhabitatio est: ideo etiam sibi dividunt appellationes, et plasmationi quidem atque formationi appellatio « hominis genitrix », unioni autem « Dei genitrix » *appellatio* obtingit: * THEODORETUS: « Dei genitricem enim, ait, sanctam Virginem appellamus: non quasi Deum secundum naturam generaverit, sed hominem Deo, qui ipsum plasmavit, unitum [3]. » Ideo ausus est iste Deo infensus [4] et immundus cum blasphemia clamare contra vocem Iohannis evangelistae et theologi et dicere: « Si ergo non est caro factum Dei Verbum [5] »; quamvis enim dicere potuisset: « Si Verbum non mutatum est in carnem », — quam causam praetexens, mendaciter sanctum Cyrillum insimulabat, — hoc quidem non addidit, sed in argumentum suae blasphemiae id dixit, quod ostendit ipsum nolle cum evangelio confiteri veritatem, *scilicet* « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [6] », neque didicisse cum Paulo dicere: « Non enim erubesco evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti [7] », et ab ipso praedicari alium Iesum, quem apostoli non praedicarunt, hominem plasmatum et figuratum sicque Deo, qui eum plasmavit, unitum.

* p. 277.

Haec ipse etiam Nestorius scripserat, in oratione cui inscribitur: « De *effato:* « Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias », et de divina inhumanatione [8] », cuius initium est: « Et terribilis et iucunda est tuba evangelicae lectionis [9] », sic dicens: NESTORIUS: « Sicut [......] claram, vocem

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 393. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] θεομάχος. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 393. — [6] IOH., I, 14. — [7] *Rom*, I, 16. — [8] LOOFS, p. 279. — [9] *Ibid.*

quam Angelus dixit [...] ego partum. « Ave, gratia plena, Dominus tecum [1] ». Cum partu tuo Deus, o Virgo; non quidem partus tui germen [2] est. Cum partu tuo: non quidem ipse plasmatur. Igitur, quomodo ego vocem angeli * mutabo et afferam: « Dominus » non: « tecum », sed: « ex te » [3] ? » Opposita autem his stultis et absurdis et iudaicis verbis senserunt atque docuerunt apostolici doctores *totius*, quae sub sole est, sanctae Ecclesiae. Etenim Petrus quidem, episcopus alexandrinus et divus Christi martyr, in libro de divinitate, — quae etiam commemoravimus in iis, quae paulo antea considerata sunt [4], — haec scripsit: PETRUS: « Unde et evangelista veritatem asserit dicens: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », nimirum ex quo angelus Virginem salutavit et dixit: « Ave, gratia plena, Dominus tecum ». Nam hanc *vocem* « Dominus tecum » nunc audire licet a Gabriele *prolatam* instar *vocis* « Deus Verbum tecum »; ipsum enim significat et in utero concipi et carnem fieri, sicut scriptum est: « Spiritus sanctus veniet super te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur etiam Filius Dei [5] ». RURSUSQUE, POST ALIA: « Deus Verbum autem, absente viro, per virtutem Dei, qui omnia facere potest, factus est caro in utero Virginis, cum viri operatione vel praesentia non eguisset. Magis enim quam operatio viri, operata est virtus Dei, quae obumbravit Virgini cum Spiritu sancto, qui venit [6]. » Gregorius theologus vero, in epistula ad Cledonium, *verba* his similia scripsit: GREGORIUS: « Si quis dixerit hominem plasmatum esse Deumque postea in illo habitasse, damnatus sit. Hoc enim non Dei generatio, sed generationis fuga est [7]. »

* p. 278.

Igitur cum impius Theodoretus, o Grammatice, prius carnem constituat et plasmet, sicque dicat * « hominem Deo, qui ipsum plasmavit, unitum esse [8] », et: « Quomodo igitur dicit non oportere hypostases seu naturas dividere [9] ? », et: « Duas autem dicere hypostases seu naturas unitas, non est absurdum,

* p. 279.

[1] LUC., I, 28. — [2] βλάστημα. — [3] Locum, ceteroquin in priori parte mutilum et obscurum, non repperi. — [4] Cfr supra, p. 143. — [5] *P. Gr.*, XVIII, 509. — [6] *Ibid.*, 512. — [7] *P. Gr.*, XXXVII, 177. — [8] *P. Gr.*, LXXVI, 393. — [9] *Ibid.*, 404.

sed iuxta causam consentaneum [1] », et : « Quomodo impietatem adscribit iis, qui dividunt proprietates naturarum, Dei ante saecula *existentis* et hominis in fine dierum assumpti ? [2] », et : « Naturam hominis assumpsit *Verbum* et hanc ultra communes pontifices statuit [3] », — *cumque* tu decreveris atque dixeris *Theodoretum*, in reprehensionibus capitulorum, irreprehensibiliter [4] de duabus naturis verbum fecisse, ita ut etiam sanctus Cyrillus, iuxta lamentabiles fabulas tuas, taceret et consentiret, nec haberet quid diceret : manifeste deprehenderis secutus Theodoretum, qui laudabiliter de duabus naturis verbum fecit. Quomodo namque impugnares eum, ad quem sapiens Cyrillus tacebat nec habebat quid diceret ? Itaque, sicut ille, « duas naturas et hypostases unitas » confiteris secundum unionem fallacem et quae duplicitate separat, tibique ad nihilum redigitur perversa calliditas, qua dicis : GRAMMATICUS : « In duabus naturis, id est, substantiis, *Christum esse* dicimus [5] », rursusque : « In duabus substantiis Christum *esse* dicimus, sed in duabus hypostasibus signatis *eum dicere* vitamus [6] », et iterum : « Si ergo alterius non fuit caro propria Dei Verbi, et ante conceptionem non erat, quomodo in duabus hypostasibus propriis dicam, et aliam hypostasim vocabo eam *carnem*, quae seorsum neque substitit neque rursus ullo modo exsistentiam habuit, sed in Deo Verbo semper substitit [7] ? ». Etsi enim istis *effatis* causas praetexis, nunquam * orthodoxus videberis. Nec necesse est te rogemus utrum noster an ex adversariis sis : totus enim ex adversariis es, etsi Euripi [8] commutationes imitaris, alias alium, verborum tuorum commutatione, te cupiens censeri. Etenim, tu quidem, causas praetexens, ut dixi, interrogas : GRAMMATICUS : « Quomodo in duabus hypostasibus propriis dicam [9] ? » ; Theodoretus vero tibi respondet : THEODORETUS : « Duas dicere hypostases seu naturas unitas, absurdum non est, sed iuxta causam consentaneum [10] », et in sapientem Cyrillum aspere dicit : « Quomodo ergo dicit non oportere hypostases seu natu-

* p. 280.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.*, 436. — [4] ἀνεγκλήτως. — [5] Locum non repperi. — [6] Item. — [7] Item. — [8] Εὔριπος. — [9] Locum non repperi. — [10] *P. Gr.*, LXXVI, 404.

ras dividere [1] ? », *scilicet* Cyrillus qui, ut ipse testatus es, benignus « ubi Theodoretus duas naturas nominabat tacebat et consentiebat nec habebat quid diceret [2] ».

CAPUT TRICESIMUM QUINTUM

Quod sapiens Cyrillus redarguit Theodoretum per nomen formarum naturas in personas mutantem.

Verumtamen, si tibi placeat, eruditissime et plenissime scrutemur Cyrilli silentium, quod benignum esse tibi visum est. Cum enim nomen « forma » de divina inhumanatione pro nomine « natura » adhibuisset, scribendo ad piissimas reginas, sic dixit : CYRILLUS : « Igitur insueto modo apparet Verbum, non amplius nudum et carnis expers, sicut in principio erat, sed in forma et natura nostri simili [3]. » Videamus nonne Theodoretus, * per nomen « formae », iterum « naturas » nominet personas, in iis quae in reprehensionibus anathematismorum seu capitulorum scripsit. Igitur, in reprehensione quarti capituli, haec cum blasphemia dicit : THEODORETUS : « Si autem veritas non mentitur, neque Deum Verbum fugit dies, quam ipse fecit, quam ipse definivit, in qua iudicaturus est orbem, sed habet Patris cognitionem, tanquam imago incommutabilis : non igitur Dei Verbi est ignorantia, sed formae servi, quae tanta per hoc tempus sciebat quanta divinitas inhabitans revelabat [4]. » RURSUSQUE : « Igitur ea quidem, quae ut Deum decet dicta et facta sunt, Deo accommodabimus ; quae vero humiliter dicta et facta sunt, formae servi aptabimus, ne Arii et Eunomii blasphemia laboremus [5]. »

* p. 281.

Ostendamus autem quomodo Cyrillus ista silentio, consensione, verbi oppositi defectu honoraverit in reprehensionis defensione : CYRILLUS : « Itaque omnia sunt unius Christi, Deum decentia et humana. Nam si quidem non factum est homo Verbum, quod ex Deo Patre *est*, ne loquatur secundum nos humanitus. Si autem verum est quod sicut nos communicavit sanguini et carni, et assimilatum est per omnia fratribus suis,

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 404. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 1400. — [4] *Ibid.*, 412. — [5] *Ibid.*, 413.

id est nobis, cur sapientiae dispensationis stultissime obtrectant, vocem humanam non ferentes, et id, quod humile *habetur* in vocibus propter dispensationem, tanquam ad alium seorsum exsistentem Filium, ad formam servi, sicut ipsi dicunt, conantes referre? Stultum autem prorsus est, fingere quidem * quod metuant vesanias haereticorum, deinde traditionem rectae fidei ipsosmet extra convenientem rationem abducere. Melius autem dixerim et longe eruditius esse, voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligatur proprie et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius attribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, cum sit Deus simul et homo, per utrumque sermonem procedere [1]. » ET POST ALIA : « Qui igitur asserit revelationem datam esse formae servi ab inhabitante Deo, eamque mensuratam, prophetam nobis exhibet Emmanuelem deiferumque hominem, atque aliud nihil. Porro putat se sapiens quiddam et inexpugnabile dicere. Nam si Dei Verbum est, inquit, qui clamavit : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste », primum quidem discordat a Patre, non recte vero recusat calicem bibere, quamvis etiam, ait, non ignoret passionem suam mundi salutem futuram esse. Igitur haec verba, ait, non sunt Verbi. Itaque audiet etiam a nobis qui tam abominandis cogitationibus natat : Ergo quia tibi videtur a Deo Verbo quidem tales voces amovendas esse, soli autem servi formae eas esse adaptandas, nonne in duos iterum filios unum dividis, et cui ex recte sentientibus hoc manifestum non est [2]? »

At certe, his appositis, opto ad sanctum Cyrillum sermonem convertere et dirigere atque ad illum dicere, — sinat autem et propitium nobis * Deum faciat divina et sacra Doctoris anima —: Quid agis, o sapientissime doctorum Ecclesiae totius orbis? Cur naturas et formas fraudas? *Cur* dualitatem filiorum et christorum patefacis? Cur acriter eum insimulas, qui duas naturas et formas laudabiliter praedicat, dicisque quod « prophetam nobis exhibet Emmanuelem deiferumque hominem atque aliud nihil [3] »? Cohibe accusationem, si tibi placeat; noli a Grammatici sententia et coronis atque honoribus miran-

* p. 282. * p. 283.

5 10 15 20 25 30 35

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 413. — [2] *Ibid.*, 416. — [3] *Ibid.*

dis deflectere. Cum ingenuis silentibus es : valde timeo ne iam cum cavillatoribus et detractoribus [......] et evertentibus quae aedificaverant, computeris.

CAPUT TRICESIMUM SEXTUM

Quod per ea, quibus iste impius Theodoretum propter duarum naturarum vel duarum formarum sententiam malitiose laudavit, non latuit proferens defensionem Tomi Leonis, qui in formas atque naturas unum Christum per eam, quae subicitur, blasphemiam similiter dividit.

Verum, non abs re alienum est id, quod te [1] quidem coronis deficientiae *id est* silentii, quod cladem profitetur, *Grammaticus* coronavit, Theodoretum autem *coronis* excellentis et inconcussae de duabus naturis et formis sententiae, cum praemittat et statuat hanc sententiam atque laudem in impium Tomum Leonis, quem chalcedonensis synodus apostoli Petri confessioni concordem dixit et orthodoxiae columnam vocavit. Et facile est videre non distare a dictis Theodoreti * modo appositis haec *Leonis verba*, quae sic se habent : LEO : « Agit enim unaquaeque ex formis cum alterius communione quod sibi proprium est, Verbo quidem operante quod Verbi est, corpore autem exsequente quae corporis sunt ; et unum quidem coruscat miraculis, alterum autem iniuriis succumbit [2]. » RURSUSQUE : « Non eiusdem naturae est dicere : « Ego et Pater meus unum sumus », et dicere : « Pater meus maior me est [3]. »

Igitur, si naturis et formis dividantur actiones et sermones, et formae quidem atque naturae divinae Verbi sit dicere et operari ea, quae Verbi sunt, atque dicere : « Ego et Pater unum sumus [4] » ; rursus autem humanae naturae atque formae, seu corporis, *sit* humana exsequi, et iniuriis passionibusque succumbere, et humana loqui, et dicere : « Pater meus maior me est [5] » ; non autem eiusdem, qua Dei quidem secundum naturam exsistentis et sicut Deum decet agentis atque loquentis, qua autem immutabiliter hominis facti, simulque Dei exsistentis, et humano modo loquentis et patientis secun-

* p. 284.

5 10 15 20 25 30

[1] Severus pergit Cyrillum alloqui. — [2] *P. Lat.*, LIV, 767. — [3] *Ibid.*, 769. — [4] IOH., X, 30. — [5] IOH., XIV, 28.

dum quod passionis capax est, id est, secundum carnem: adversus|ista etiam susurrabimus illas sancti Cyrilli voces, quae susurrata sunt ad Theodoretum, impietatis suae aures sicut aspidis surdae obturantem[1] *et* quarum etiam modo[2] mentionem fecimus: CYRILLUS: « Itaque omnia sunt unius Christi, Deum decentia et humana. Nam si quidem non factum est homo Verbum, quod ex Deo Patre *est*, ne loquatur secundum nos humanitus. Si autem verum est quod sicut nos communicavit sanguini et carni, et assimilatum est per omnia fratribus suis, id est nobis,* cur sapientiae dispensationis stultissime obtrectant, vocem humanam non ferentes, et id, quod humile *habetur* in vocibus propter dispensationem, tanquam ad alium seorsum *exsistentem* Filium, ad formam servi, sicut ipsi dicunt, conantes referre? Stultum autem prorsus est, fingere quidem quod metuant vesanias haereticorum, deinde traditionem rectae fidei ipsos extra convenientem rationem abducere. Melius autem dixerim et longe eruditius esse, voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligatur proprie et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius attribuere mensuris inhumanationis eius. Oportebat enim eum, cum sit Deus simul et homo, per utrumque sermonem procedere[3] ». RURSUSQUE: « Itaque audiet et a nobis, qui tam adulterinis cogitationibus natat: Ergo quoniam tibi videtur a Deo Verbo quidem tales sermones amovendos esse, referendos autem ad solam formam servi, nonne in duos iterum filios unum dividis? Et cuinam recte sentientium hoc non est perspicuum[4]? » Et iterum, in defensione decimi capituli seu anathematismi: « Qui enim hoc ipsum secundum nos fieri non aspernatus est, quomodo respueret ea, per quae videri poterat vere propter nos secundum nos factus? Cum ergo ab humanis eum removerimus, tum factis tum verbis, nullo etiam modo discernemur ab iis qui, si quidem fieri posset, ut ita dicam eum etiam carne exuunt et Scripturam a Deo inspiratam veram non censent, sed prorsus evertunt * inhumanationis mysterium, mundi salutem, spem, fidem, resurrectionem[5]. »

* p. 285. — * p. 286.

1 *Psalm.* LVII, 5. — 2 Cfr supra, p. 219. — 3 *P. Gr.*, LXXVI, 413. — 4 *Ibid.*, 417. — 5 *P. Gr.*, LXXVI, 441.

CAPUT TRICESIMUM SEPTIMUM

Quod communionis et familiaritatis nomen alio et vario et prorsus diverso modo tradiderunt ii, qui hypostaticam et naturalem unionem confitentur, non autem sicut ii, qui habitudinis et voluntatis unionem fingunt, et duas formas aut duas naturas operantes ponunt atque proprie dividunt, rursusque passiones et miracula appropriant.

At vero, etiam huic *effato*, quod dixit Tomus Leonis: « Agit unaquaeque ex formis, cum alterius communione », opponere placet reprehensionem ex sapientis Cyrilli voce, quae talia furacia artificia deprehendit atque depingit; scripta est autem adversus reprehensiones Andreae, in defensione tertii anathematismi: CYRILLUS: « Quod commune est, non uni commune est, sed duobus prorsus vel pluribus proprie et seorsum consideratis[1]. » Hanc autem communionem affectum esse et mentis et voluntatis, et relationem[2] et habitudinalem familiaritatem ipse Leo confessus est per adiunctionem, in proprias operationes id, quod commune formis videbatur, dividendo, et dixit: LEO: « Verbo quidem operante quod Verbi est, corpore autem exsequente quae corporis sunt; et unum quidem coruscat miraculis, alterum autem iniuriis succumbit[3]. »

Itaque, ubi non duae quidem formae et naturae sunt, sed unus ex [utroque] secundum * [naturalis] unionis coniunctionem Christus agnoscitur, una est persona et una hypostasis unaque natura Verbi incarnata, sicut et homo nostri similis ex duobus, ex anima et ex corpore, agnoscitur. Tunc etiam haec per naturalem et veram communionem fiunt, non autem per affectus coniunctionem, cum unus sit, id est Deus Verbum incarnatum, qui operatur Deo digna et humana, carne non aliena effecta a Deo digna operatione, quia non carnis expers Verbum divina signa operabatur, neque rursus Verbo extra corporales humanasque operationes et passiones exsistente: etenim incarnatum erat; et is, qui secundum naturam incorporalis est, per dispensationem corporalis factus est, cum hypostatice unitus est carni rationalem animam habenti. Unde etiam carne propria et passionis capaci pati dicebatur, cum

* p. 287.

1 *P. Gr.*, LXXVI, 329. — 2 ἀναφορά. — 3 *P. Lat.*, LIV, 767.

passiones quoque huius carnis, cui naturaliter unitus est, sibi appropriaret, tunc sicque, qua Deus, impassibilis exsistens, quia ultra id, quod passionis capax erat, id est corpus rationaliter animatum, fieri non poterat ut passiones et mors accederent atque pertingerent: rursus enim impassibilitate divinitatis Verbi cohibebantur. Haec autem ita esse confirmabit atque signabit in medium procedens sacra vox eximii Cyrilli. Scripsit enim in Scholiis, in scholio cui titulus: « Qualem dicimus esse unionem [1] », sic: CYRILLUS: « Ergo unio Verbi ad humanitatem haud incommode rebus nostris comparetur. Nam sicut corpus natura quidem diversum est ab anima, unus autem * ex ambobus homo absolvitur et dicitur: ita ex perfecta Dei Verbi hypostasi, rursusque ex humanitate secundum propriam rationem perfecte se habente unus Christus, idem exsistens in eodem Deus simul et homo. Appropriat quidem sibi, ut antea dixi, Verbum ea, quae propriae carnis ipsius *sunt*, quia corpus ipsius est, non alterius; communicat autem, ut ita dicam, propriae carni efficientiam [Deo] dignae virtutis quam habet, ita ut possit *haec caro* vivificare mortuos et sanare infirmos [2]. » ET POST PAUCA: « Ceterum, tanquam in imagine, videre licet in carbone unitum quidem humanitati Verbum Dei, non quod desierit esse id, quod est, sed potius quia transformavit id, quod assumptum seu unitum est, in suam gloriam et efficientiam. Quemadmodum enim ignis ligno affixus illudque penetrans, comprehendit quidem ipsum, quin illud demoveat ab eo, quod sit lignum, illud autem potius transmutat in speciem et vim ignis et omnia sibi propria in illo operatur, iamque tanquam unum aliquod cum illo aestimatur: sic et de Christo intellige. Cum enim Deus humanitati ineffabiliter unitus est, dicimus quod illam quidem servavit id, quod erat, sed et ipse mansit id, quod erat; semel autem unitus, tanquam unus cum illa aestimatur, ea quae sunt illius sua faciens, immitens autem et ipse in illam propriae suae naturae efficientiam [3]. »

Ecce, haec est communio efficientiae ex naturali et vera unione *orta*, quando unius ex duobus hypostaseos una indivi-

* p. 288.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1376. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1377. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1380.

duaque est efficientia. Nam etiam carbo ex ligno et ardet et lucet, nec quisquam [proprie et seorsum *ea* ponens], illa * [dividere potest.] Ita [etiam caro Verbi Dei,] carbo intellectualis, et vivificat mortuos et sanat eos, qui in infirmitatibus [sunt;] et impossibile est dividere istam [operationem] Deo dignam atque [dicere] quod illam [Verbum] proprie et [divise] operabatur. Rursusque super terram ambulans et quinque panes sumens atque frangens in manibus suis, [operationem non] alterius cuiusdam [sed proprii corporis] operabatur. Et similiter significabat is, qui dixit [: «...... », quod vocem] emittebat corpus, [utique] rationaliter [animatum, non autem, ut] dicunt ii, qui separant, forma servi: etenim Verbum incarnatum id quoque operatum est. Et idem est, qui divina divinitus et humana humanitus perficit. Et effectus quidem diversi sunt, quatenus nonnulli quidem Deo digni, nonnulli autem dispensatorii et humani sunt; una autem est efficientia, quia qui operatur unus est, Deus absque mutatione incarnatus et perfecte inhumanatus. Neque propter diversitatem eorum, quae facta seu absoluta sunt, divisionem et separationem statuamus duasque naturas, quae operantur, stulte [excogitemus, dicentes] Verbum quidem operari quod Verbi est, corpus autem perficere quae corporis sunt, ita ut iam communio habeatur per similitudinem naturae [1] et per coniunctionem atque familiaritatem affectus ex [voluntate].

Et in promptu est audire impium Nestorium id scribentem atque dicentem in oratione, cui titulus: « De divina inhumanatione. Dicta est autem cum * alius ante ipsum dixisset, quia turbae *cum* coegerunt [2] »: NESTORIUS: « Non est aliud partis instar divinitatis et aliud humanitatis: nulla enim est in his separatio divinitatis et carnis. Non probat *divinitas* quidquam scire absque corpore; non amat absque carne quidquam creare [3]. ». Quam stultam communionem et coniunctionem, quae persuasibiliter, seu potius haud persuasibiliter dualitatem filiorum inducit, — dici enim nequit concordia unius hyposta-

* p. 289.
* p. 290.

[1] Sic! Libenter legerem: « voluntatis », id est, per concordiam. —
[2] Hunc titulum affert Severus in Philalethe, edit. SANDA, p. 28. —
[3] Locum non repperi.

seos; nam nemo eiusdem mentis eiusdemque voluntatis[1] secum ipso dicitur, sed voluntatem et actiones inter se communicant et eiusdem mentis eiusdemque operis *esse* dicuntur, et quidem optimo iure, ii qui secundum hypostases separantur, — sapienter redarguit venerabilis Cyrillus, in tomo secundo adversus impii Nestorii blasphemias, sic: CYRILLUS: « Sed ipse nobis interpretatur vim coniunctionis. « Non enim fieri potest, *ait,* ut Deus Verbum aliquid sine humanitate faciat ». Igitur eiusdem voluntatis sunt inter se eiusdemque mentis, iuxta te, et ex communibus consiliis credemus par illud filiorum a te dictorum procedere ad singulas res faciendas: quo posito[2], quomodo non duo filii et christi et domini[3]? »

Sed et in passionibus dispensatoriis, quas propter nostram salutem voluntarie carne tulit Dei Verbum immutabiliter incarnatum, passionum impetum naturaliter non excipiendo sicque immutabiliter impassibile manendo, cum usque ad corpus passionis capax *solummodo* passionum efficientia exsurgeret, invenimus ipsum Nestorium eiusque imitatores in duas naturas* et formas Emmanuelem dividentes, dum eam, quae ex vera et naturali unione *habetur,* communionem et familiaritatem impie transferunt ad voluntatis affectum et familiaritatem, et per eam, quae ex habitudinali affectu *exsurgit,* relationem, Deum [.........[4]] et causa sunt huiusmodi timoris voluntaria amentia, theopaschismus celebratissimus[5], idque, quod sua natura pati non potest Deus, qui ideo unitus est corpori passibili ut mortis atque passionum aculeum retunderet: agit[6] enim Deus, nec quidquam ex iis ipse patitur contra naturam suam, cum per carnem passionibus implicatur. Igitur eos fugit quod, illum a passionibus removentes atque dicentes: « Et unum quidem coruscat miraculis, alterum autem iniuriis succumbit[7] », illum removet etiam a victoria super passiones et a perfecta earum destructione, et timent ne vincatur etiam atque aliquid patiatur cum adversus passiones pugnat is, qui omnia vincit. Et isto, cuius *nos* insimulant, theopaschismo ipsi labo-

* p. 291.

[1] ὁμόφρων καὶ ὁμογνώμων. — [2] εἶτα. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 93. — [4] Lacuna quattuor linearum. — [5] Id est, de quo multum loquuntur: πολυθρύλητος vel πολύφημος. — [6] Vel: « cohibet » seu « reprimit ». — [7] *P. Lat.*, LIV, 767. —

rant; et quantum in ipsis est, illum impassibilem exhibent *tanquam* fugitivum *a passionibus,* immo tanquam ab alio coactum, minimeque sua sponte suscipientem dispensationem suumque ad nos in carne adventum, illamque *dispensationem* adimplentem « usque ad mortem, mortem autem crucis[1] », ut Apostolus dixit.

Verum, videamus etiam in hoc [errore impium Nestorium, qui manifeste scripsit ad Alexandrum, qui civitatis mabbugensis tunc temporis antistes fuit][2]: * NESTORIUS: « Duos autem familiaritatis[3] modos esse puto: unum quidem, naturalis affectus in passionibus, qualis *viget* inter animam et corpus; alterum autem, qui secundum affectuosam mentem impassibiliter ad aliquid fit [propter amorem quemdam, qualem] reges ad proprias [imagines] habent. Si igitur dicamus per familiaritatem passum esse Verbum [qualis *viget*] inter animam et corpus, [compassio] fiet per coniunctionem passio Verbi [simul et carnis]. Etenim anima quoque et corpus per utrumque et cum utroque patiuntur: nam neque anima sine corpore corporis doloribus dolet, neque corpus sine anima *dolet,* quia naturalis est eis compassio utriusque per utrumque. Sic igitur ipsa quoque caro per familiaritatem angoris animae tabescit, et anima corporis doloribus cum illo dolet. Si vero carnis contumeliam in cruce, quasi per regis imaginem[4] ad Deum Verbum referamus, reliquum est ut carnis contumeliam voluntario affectu divinitatis esse dicamus: quod verum est atque totius loquacitatis [haereticae ea, quae misceri nequeunt, miscentis] destructivum. [Volunt enim isti per naturalem] familiaritatem, [ut] dixi, [passiones templi] Deo [affigere; non autem] per voluntarium affectum [erga] proprium templum [illas *passiones*] effecerit [suas], per relationem [omnium proprietatum] naturalium [carnis * ad] Deum Verbum, [ita ut deinceps] non possint [separari] proprietates [naturales carnis et] divinitatis[5]. » [.....................] iudaicae [........myst]agogi[........

* p. 292.

* p. 293.

[1] *Philipp.*, II, 8. — [2] Vide notam ad h. l. textus. — [3] οἰκείωσις. — [4] Id est, altero familiaritatis modo. — [5] Locum non repperi nisi in versione syriaca operis Severi, cui titulus *Philalethes* (edit. SANDA, p. 53). Textus sex linearum sequentium ita mutilus est, ut vix cum aliquali certitudine verti possit.

........] familiaritatem [.... quae secundum] naturalem unionem, non autem voluntariam, sicut dixit Nestorius, mente tenuerunt atque docuerunt, et impassibile Verbum Dei, et ita ipse.

Ecce enim quomodo Athanasius, qui in apostolica statera divinam sanae fidei doctrinam appendebat, scripsit in oratione de fide, quae potius adversus infandi Apollinarii luem *scripta est;* cum inciperet *istos* homines incusare, haec scripsit: ATHANASIUS: « Et alibi Dominus dicebat: « Palpate me et cognoscite, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me non « esse », sed « habere » videtis, per id [docens spiritus naturam inenarrabilem esse, ipsum autem contactum ad corpus nostro *corpori* simile pertinere, quod sibi ex Virgine comparaverat], [1] non aliquo operationis modo, sed naturali generatione, ut secundum naturam esset corpus, ac rursus secundum naturam indivisibile esset a Verbi divinitate. Sic enim et mors evenit, corpore quidem secundum naturam *eam* suscipiente, Verbo autem per voluntatem *eam* admittente et cum potestate proprium corpus in mortem tradente, ut et naturaliter pro nobis pateretur, et divinitus pro nobis resurgeret. Et totum generationis et mortis negotium nostram perquisitionem et reductionem spectat. Haec cum ita se habeant * et in confesso sint in Ecclesia Dei catholica, quomodo vos dicitis corpus e caelo esse [2] ? » Gregorius theologus autem, in secunda oratione de Filio, haec scripsit: GREGORIUS: « Ut autem servi forma, ad conservos et servos se demittit et figuratur istud alienum, me totum cum meis in seipso habens, ut, quod deterius est, in seipso absumat sicut ignis ceram et sicut sol vaporem e terra, atque ego [3] ...

(* p. 294.)

1 Lacunam textus syriaci complevi; vide notam ad h. l. textus. — 2 *P. Gr.*, XXVI, 1104. — 3 *P. Gr.*, XXXVI, 109. Desinit textus cod. M.

Subicitur, e cod. D, fragmentum secundae orationis [1] alibi non repertum:

RURSUSQUE, EIUS [2]: « Cum ter in suo Tomo « unionem » Leo commemoraverit, nusquam posuit « naturalis unionis coniunctionem » divinitatis et humanitatis, vel « hypostaticam unionem », vel « ex duabus rebus unam rem », vel « ex duabus naturis unam naturam aut unam hypostasim incarnatam », aut « Filium vel Deum vel Verbum incarnatum », vel « unum Christum, qui ex duabus naturis intelligitur », iuxta voces sancti Cyrilli; neque ipse, neque chalcedonensis synodus *ita posuerunt,* sed pro istis *formulis* dixerunt « unitatem personae », et « Christum, qui in duabus naturis post unionem intelligitur », et « hypostasim personae congruentem », iuxta explicationem Theodoreti dicentis quod *synodus Chalcedonensis* « intellexit hypostasim *esse* personam [3] », et iuxta Leonis expositionem « unitatem personae in eo esse [4] », quemadmodum ab eo intelligitur. Iamvero, si « hypostasim » vere posuisti, quaenam est haec hypostasis, cui non addidisti *eam esse* « incarnatam », neque quidquam ex iis, quae compositae *hypostasi* congruunt? Quaenam est una carnis et divinitatis hypostasis? Utrum simplex an * composita? Utrum visibilis an invisibilis? Utrum eiusdem an alterius naturae? Num composita, atque ex naturis inter se dissimilibus composita est? In iis autem, quae in unam hypostasim suam procedunt, in iisdem una etiam *habetur* natura incarnata. Si duae ibi naturae *sunt* post unionem, ibi etiam duae hypostases *sunt* post unionem. Quodsi « incarnata » *sit, sunt* ergo etiam duo filii et christi et domini, et cetera. »

(* p. 295.)

1 Excerptum, ut videtur, e capite quinquagesimo. — 2 Id est, Severi, ut ex lemmate praecedentis fragmenti patet. — 3 Cfr verba Theodoreti, in epistula pro synodo chalcedonensi adversus Iohannem Ægeatem, quae allata sunt a Severo in *Philalethe* (edit. SANDA, p. 30). — 4 Cfr *P. Lat.*, LIV, 771.

INDEX TOMI IV.

SEVERI PATRIARCHAE ANTIOCHENI LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIO PRIMA.

ORATIO SECUNDA.

I. — INDEX BIBLICUS[1]

A. — VETERIS TESTAMENTI.

[1] In indicibus tanquam t. I, II, III notavimus t. IV, V, VI huius seriei quartae versionis Scriptorum syrorum.

II. - SCRIPTORUM EXCERPTA RECITATA[1]

1 Attendat lector semel tantum notatam esse paginam, in qua plura nonnunquam eiusdem operis testimonia recitata inveniuntur. Asteriscus paginae numero appositus indicat primigenium testimonii textum a nobis repertum non esse.

[1] Omittitur astericus, quia ad singulos numeros esset apponendus.

[1] Servatur ordo receptus apud LOOFS, *Nestoriana*.

III. — INDEX NOMINUM GENERALIS [1]

[1] Nomina scriptorum, quae ante testimonia recitata iterari solent, ope secundi indicis reperientur. Semel notata est pagina in qua haud raro idem nomen pluries occurit.

